METHODVS

DE CONSCRIBENDIS EPISTOLIS, A GEORGII MACROPEDII secundum veram artis rationem tradita.

EIVSDEM

Epitome præceptionum de paranda copia verborum & rerũ, per quæstiones: item de nouem speciebus argumentationum Rhetoricarum, rẽ omnẽ breuiter explicans.

Accessit Christophori Hegendorphini Epistolas conscribendi Methodus.

Hac æditione longè quàm antea emendatior.

LONDINI,
Ex officina typographica Richardi Field; & sunt venales apud *Robertum Dexter*.
1600.

IN PROMPTU

METHODVS

DE CONSCRIBENDIS EPISTOLIS, A GEORGII MACROPEDII secundum veram artis rationem tradita.

EIVSDEM

Epitome præceptionum de paranda copia verborum & rerũ, per quæstiones: item de nouem speciebus argumentationum Rhetoricarum, rẽ omnẽ breuiter explicans.

Accessit Christophori Hegendorphini Epistolas conscribendi Methodus.

Hac æditione longè quàm antea emendatior.

LONDINI,
Ex officina typographica Richardi Field; & sunt venales apud *Robertum Dexter*.
1600.

Cost a groat from Mr Ch. Lumsden
13. March 1695.

BRITISH MUSEUM
23 49
AUG

6123 b 1

AD SCHOLÆ TRAIECTINÆ

ſtudioſam iuuentutem.

QVAS ante annos (ni fallor) decem de ſcribendis Epiſtolis præceptiones rudibus id temporis meis auditoribus craſſa (quod aiunt) Minerua dictaui, denuò vobis auctiores, ſtudioſi adoleſcentes, prælio mandatas offerimus: vt ad rem non modò vtilem, verumetiã maximè neceſſariam, nouis his (quanquã triuialiter ſcriptis) lucubratiunculis, poſt prima Grãmatices præcepta excitemini. Inter varia ſiquidem ſcholæ noſtræ exercitia, nullum eſt, meo iudicio, ad quod magis non tam excitandi, quàm etiam in rem veſtram vrgendi eſtis, quàm ad Epiſtolas ſedulò ſcribẽdas, iuſto artificio componendas. Laudantur (& quidem non immeritò) qui ad vnguẽ grammatices præcepta callere, qui multas Ciceronis & aliorũ paginas memoriter recitare, ſed etiam componere nituntur, quibus tamẽ omnibus quantũuis ſtudioſis longè eos præfero, qui totis ingenij ſui neruis Epiſtolæ ſtudent citra barbariẽ doctè & eleganter componẽdæ. Hoc enim exercitio rectius peruenitur ad ſtudij bonarum literarum ſcopum, hoc eſt, ad rectam dicendi & ſcribendi rationem, ſine qua neminẽ (quantumlibet de cæteris glorietur) eruditũ iudicare ſolemus. Hoc quoq; exercitio non modò tuas, quiſquis es, aptè & expeditè ſcribes literas, verumetiam aliorum doctorum pariter & indoctorum, qui ad te ſcripturi ſunt, Epiſtolas facilè iudicabis. Vide præterea, quàm hoc cæteris ſcholaribus exercitijs præſtet, quòd omnium fermè reliquorum vſus poſt ſcholaſticã palæſtram ceſſet, huius autẽ perſeueret. Quis eſt enim, qui non crebrò aut ſcripturus, aut ſcriptas accepturus eſt literas? Et quis eſt, qui car

mine poſt ſcholas non ſubinde animi gratia vti cõſueuit? Quemadmodum igitur hactenus bonarũ literarum candidati, Proſodia noſtra adiuti ſtuduiſtis alacriter verſibus ſcribendis: ita nunc non minori ſolicitudine & alacritate, harum præceptionum noſtrarũ adminiculo ſtudere Epiſtolis docte ſcribendis, & tandẽ experiemini, quòd nihil vnquam in ludo literario vtilius & magis neceſſariũ tractaueritis. Valete: & veſtri is vltrò cõmodis & vtilitatibus cõſulenti Macropedio auſcultate. Et vt hoc quoq; adijciam, vobis dicatus hic liber, habebit duas partes: Prior, Inuentionem rhetoricam, adeoque Epiſtolicam: Poſterior, Diſpoſitionem & Elocutionem tractabit. Rurſus

Valete.

PRIOR

PRIOR PARS DE INVENTIONE RHETORICA.

QVID EPISTOLA, ET QVALEM esse oporteat.

Vm sit Epistola præcipuè familiaris, absentium amicorũ quasi mutuus sermo, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλω, quod est mitto, aut per literas absenti aliquid significo, talem eam esse oportet, quales sunt amicorũ mutuæ confabulationes. Amat igitur characterem humilem, proximéque ad comicam phrasin accedentem, & (vt planius dicam) simplicem, festiuam, dilucidam, minimeque fucatam scribendi rationem, quæ suam tamen elegantiam non negligat. Quæ res doctissimorum magis obseruatione, quàm scholaribus præceptis acquiritur. Cùm sint enim tria tum dicendi, tum scribendi genera: Sublime videlicet: quod crebris figuris adornatum rebus heroicis conuenit, vt in Tragœdijs: Humile, quod citra fucum & magnificũ cultum humi serpere videtur, vt in Comœdijs: Mediocre, quod medio modo se vtriq; attemperat, vt in Historijs: nemo hæc melius dignoscere valet, quàm qui doctissimorum scriptorũ diligens obseruator est. Quod autem ad rectam Epistolarum

compositionem attinet, secundum Rhetoricum artificium Inuentionem, Dispositionem & elocutionē, paucis præceptis explicare studebimus. Nō secus enim in Epistola, quam in oratione rhetorica, primùm per Inuentionem excogitandum est, quid sit scribendum: deinde curandum, quomodo inuenta sint disponenda: tertio quomodo, dispositа sint aptis verbis & sententijs eloquenda, satagendum est.

Partes Epistolæ duplices.

PArtes Epistolæ easdem ferè tradunt nonnulli, quas rhetores orationi rhetoricæ præscribunt, quæ sunt. Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, & peroratio. Verùm cùm Epistolaris compositio oratione rhetorica sit multò liberior, nec eisdem legibus perpetuò astringatur, nos illis subinde dissimulatis, alias pro diuersis Epistolarum generibus præscribemus, congruisque tum præceptis, tum exemplis illustrabimus: nihilominus tamen paulò etiam prænominatas rhetoricæ orationis partes exposituri. Inprimis igitur hoc aduertendum, quòd quædam sunt Epistolarum partes generales, omnibus ex æquo Epistolis conuenientes, vt Salutatio, Valedictio, & Superscriptio, de quibus primùm paucula præcipienda sunt. Nam speciales, non nisi specialibus seu singulis Epistolarū generibus propositis, tractari possunt.

De

De Salutatione.

IN ſalutatione hoc obſeruandum eſt, vt à tertia ſcribentis perſona incepta, ad tertiam, eius videlicet ad quem ſcribitur, quaſi à tabellario pronuncietur, procedat, hoc modo: Tullius Curioni ſalutem dicit. Item adiunctis prænomine & cognomine ſic: Mar. Tull. Lentulo proconſuli ſalu. D. Aut Pliniano more Pronomine addito: Cic. Lentulo ſuo ſalut. d. In his ſalutandi formulis (vt vides) perſona ſcribentis nominandi, & alterius, ad quem ſcribit, dandi caſu, exprimitur. Cauendum autem, ne aut noſtro nomini, aut eius ad quẽ ſcribimus titulorum ſyluam adijciamus: niſi velimus vel arrogãtiæ, vel adulationis argui: Sufficit enim quantumuis illuſtribus ſic ſcribere: Franciſcus Gallorum rex Car. v. Imperatori ſemper Auguſto ſalutem dicit. Item dicimus nouè: Salue mi Petre. Salue multum, aut ſalue plurimum patrue obſeruande, & alijs modis ferè totidem, quib. vti ſolemus in congreſſu. Verum illa veterum ſimplicitas, noſtra nouitate corrigi non poteſt.

De Valedictione.

QVẽadmodũ in principio ſalutamus, ita in fine Valedicimus ei ſimpliciter, ad quem ſcripſimus in ſecũda duntaxat perſona eum appellantes, hoc pacto: Vale, Bene vale, Cura vt valeas, Vale ongum iucundiſsimè ſodalis, Valetudinem tuam ura diligentiſsimè, Da operam, vt rectè valeas,

Incolumẽ te ſeruet Deus optimus maximus pater optime. Vale mi Petre. Poſt Vale, locũ adnotamus & tempus, vbi & quando ſcripſimus. Locũ exprimimus hoc modo, Datum Romæ, Scriptum Traiecti, vel ex Traiecto: & omiſſo verbo vel participio, Traiecti vel ex Traiecto. Item, ex tudo noſtro literario, Ex meo muſæo, Ex naui, &c. Tempus ſubijcimus hoc pacto, Kalendis, Nonis, Idibus, Ianuarijs, Pridie Nonas, tertio Nonas, vel Idus Ianuarias, Februarias vel Februarij. Item, Octaua Ianuarij, Prima Iunij. Et, Poſtridie Epiphaniæ, Primo Pentecoſtes. Poſſunt & hi menſium diebus anni premitti hoc modo. Anno à Chriſto nato vel paſſo, milleſimo quingentiſſimo triceſſimo quinto, quarto Nonas Martij, nocte intempeſta. Quemadmodũ autẽ nominibus dierũ menſiumue rectè ad deſignandum tempus vtendũ ſit, in Kalendario noſtro nuper edito abũdè ſatis diximus. Caue in fine nomen tuum ſubſcribas, niſi forte ob nouè aſſumptam ſalutandi formulam omiſeris.

De Superſcriptione.

SVperſcriptio eſt, quam in dorſo epiſtolæ iam clauſæ & ſignatæ ponimus. Eam hoc pacto fermè ſcribimus, vt vocabulum eius, cui ſcripſimus, cũ debita veneratione in tertia perſona ponamus, nulla noſtri nominis facta mentione, hac vel ſimili forma: doctiſſimo apud Louaniẽſes Græcarũ literarũ profeſſori, Magiſtro Rutgero Reſcheo

amico

amico singulari. Magnæ eruditionis & probitatis adolescenti Petro Delfio, apud Traiectinos, amico & fratri. Probo & industrio ciui Michaeli Hillenio, Antuerpiano, chalcographo, amico non vulgari. Optimo & integerrimo ciui Delfensi, Paulo Montano, parenti suo pientissimo & plurimum venerando. Item, Petro Montano in Traiecto, Hieronymianæ domus alumno, filio charissimo suauissimeq;. Danda est opera, vt quouis modo loci vocabulum, quem habitat is, cui scripsimus, in Superscriptione annotetur. Studendum præterea, vt aptis epithetis præsertim in hac parte vtamur, licet in alijs etiam partibus & in corpore epistolæ nonnunquam adhibenda sint.

Pro diuersis hominum statibus aliquot Epitheta.

CAesarem appellabimus Augustum, Regem inuictissimum, Ducem illustrissimum, Imperatorem militarem, fortissimum, Principem clementissimum, generosissimum, clarissimum, splẽdidissimum, præpotentem.

Papam appellabimus beatissimum, pontificem maximũ, summum. Reliquos episcopos amplissimos, sanctissimos, vigilantissimos. Abbates religiosos, venerandos, suspiciendos. Decanos & præpositos, venerandos, aut venerabiles. In magistratu sæculari. Consulem appellabimus vigilantissimum. Senatorem splẽdidissimum, ornatissimum,

Ædilem magnificentissimum. Iudicem incorruptissimum. Prætorem integerrimum.

Inter literarum professores: Theologum appellabimus grauem, absolutum, syncerum, sacrũ, diuinum: Iurisperitos iuris consultissimos, prudentissimos legum, iuris vtriusque iuxta doctos: Rhetorem disertissimum, facundissimum, suauiloquentissimum: Poetam sacrum, diuinum, clarum, inclytum: Dialecticum, acutum, argutum: Medicum peritissimum, fidum, eximium: Mixtè doctos, vndequaque, vel vndicunque doctissimos: Scholasticum eruditum, bonarum literarum studiosum, doctum, literarum haud expertem.

Inter cognatos & affines: Patrem dicemus optimum, honorandum, venerandum, obseruandũ: Matrem indulgentissimam: Fratrẽ charissimum: Patruum obseruandum: Vxorem suauissimam: Filium dulcissimum, dilectissimum, suauissimum. Cæterum Nepotes, Generos, Affines, Sodales, Commilitones iuxta appellabimus mellitissimos aut iucundissimos.

Ex illis, qui nulla officij dignitate insignes sunt, diuites & authoritate præstantes dicimus viros optimates, summates, primarios, nobiles, graues, ornatos virtute, aut moribus ornatissimos, eruditione præcellentes, obseruandos, honorandos, colendos, eximios, egregios, prudentes, spectatos, perspicaces, suscipiẽdos, circũspectos: nõ indiscretos. Matronas primarias, integerrimas, probas, pudicas,

pudicas. Puellas lepidas, amabiles, bellas, pudicas, incũdas, optimè moratas. Adoleſcentes ingenioſos, literarũ ſtudioſos, probos, modeſtos, optimæ ſpei, eximię vel generoſę indolis. Milites fortiſſimos, exercitatiſſimos. Opifices induſtrios, ſolertes, exquiſitos, accuratos, &c. Plura horum ſimilia ex probatis authoribus alijs colligat puer: nobis ſatis eſt occaſionem dediſſe ſtudioſis, ſciatq; (quod & ſuprà monui) nõ tantũ in ſuperſcriptione vſum eſſe epithetorũ, ſed etiã in corpore Epiſtolæ, idq; ſæpenumerò etiã per abſtractũ admitti. Eſt autẽ ἐπίθετον παρά τῦ ἐπιτίθημι, appono vel adijcio, nomẽ præcipuè adiectiuum, quod perſonæ ad laudem (prout hoc loco accipimus) propriè tribuitur, vt ampliſſimus: vnde ſubſtantiuum amplitudo abſtractum: ſic prudens, vnde prudentia.

De diuerſis Epiſtolarum generibus, ſecundum tria genera cauſſarum.

TRibus his generib. Epiſtolarũ partib. vtcunq; declaratis diuerſa Epiſtolarum genera explicemus, vt ſpeciales ſingulis ſuis partes tribuamus. Vt autem diuerſis Epiſtolarum generibus ordinem quendam congruum tribuamus, aduertendum eſt ſecundum Rhetores tria eſſe cauſſarum genera, videlicet, Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale, & ſi quartum velis addi, Didaſcalicum, ſeu Dialecticum, quibus omnia ciuilia themata pertractantur. In genere Demon-

pertractantur. In genere Demonstratiuo laudamus & vituperamus Personas, nempe & diuos & homines. Facta nempe diuorũ, & hominum res gestas: & res alias quaslibet, nẽpe quæ neq; personę, neque facta sunt, vt si Dauidem commendemus, personam laudamus: Si μονομαχίαν eius, quod Goliathæum fortissimè strauit, factum laudamus. Si fortitudinis ipsam virtutem, rem laudamus. De Vituperationibus idem iudicium est. In genere Deliberatiuo suademus aut dissuademus, hortamur aut dehortamur, poscimus aut negamus, precamur aut deprecamur, consolamur, &c. Vt si studia Græcarum literarum suadeam, aut dissuadeam, aut tepentem ad alacritatem horter, poscam subsidium, deprecor pœnam, &c. In genere Iudiciali pro diuersis statibus (de quibus postea) accusamus, aut excusamus seu defendimus, expostulamus, &c. Ex his ceu quibusdam fontibus, omnium fermè Epistolarũ genera simplicia & mixta proponãtur, nisi quòd familiarium quædam scribuntur (Indicatiuas appellare possumus) quibus nunc vnam rem solam, nunc commixtim varias indicare consueuimus, quę tamen ne quidem ipsæ artificio carebunt, vt postea docebimus.

De partibus orationis Rhetoricæ.

PRiusquam autem diuersa Epistolarum genera sub his tribus caussarum generibus comprehensa distinguamus. Partes orationis Rhetoricæ paucis

paucis declaremus, quò ſingularum Epiſtolarum partes ſpeciales melius intelligantur. Sunt igitur orationis Rhetoricæ partes ſex. Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Confutatio, & Peroratio, quas nonnulli in quinarium, Propoſitionem à Narratione, cui adnexa eſt, non ſeparantes: alij in quaternarium, Confirmationem & Confutationem ſub vna Contentione comprehendentes, contrahunt. Sunt alij, qui & ſeptimam, nempe Diſtributionem Propoſitioni adiungunt. Nos medio modo aut ſex ponimus ſuperiores aut quinque iuxta tritum verſiculum:
Exorſus, Narro, Firmo, Confuto Peroro.
Sub narratione Propoſitionem continentes. Harum interdum plures, interdum pauciores, interdum ſingulæ in oratione vſui aut neceſſariæ ſunt.

Exordij ſecundum Ciceronem duæ ſunt partes, alterum vocat Principium à Græcis προοίμιον ab οἶμη cantilena, vel ab οἶμος via, quaſi præcantio, ſiue præambulum dicitur. Alteram vocat inſinuationem, & à Græcis πάροδος, quaſi latens ingreſſus dicitur. In principio tribus locis vtimur, nam reddimus auditores Beneuolos, Attentos, & Dociles: beneuolentiam captamus aut ab officio perſonæ noſtræ, cum præcipuè ad nos attinere oſtendimus, vt dicamus, vel ſcribamus: aut ab aduerſariorum perſona, præſertim in genere Iudiciali, cùm eos in odiũ vel contemptum auditorum adducimus: aut à commodis eorum ad

pertractantur. In genere Demonstratiuo laudamus & vituperamus Personas, nempe & diuos & homines. Facta nempe diuorũ, & hominum res gestas: & res alias quaslibet, nẽpe quæ neq; personę, neque facta sunt, vt si Dauidem commendemus, personam laudamus: Si μονομαχίαν eius, quod Goliathæum fortissimè strauit, factum laudamus. Si fortitudinis ipsam virtutem, rem laudamus. De Vituperationibus idem iudicium est. In genere Deliberatiuo suademus aut dissuademus, hortamur aut dehortamur, poscimus aut negamus, precamur aut deprecamur, consolamur, &c. Vt si studia Græcarum literarum suadeam, aut dissuadeam, aut tepentem ad alacritatem horter, poscam subsidium, deprecor pœnam, &c. In genere Iudiciali pro diuersis statibus (de quibus postea) accusamus, aut excusamus seu defendimus, expostulamus, &c. Ex his ceu quibusdam fontibus, omnium fermè Epistolarũ genera simplicia & mixta proponãtur, nisi quòd familiarium quædam scribuntur (Indicatiuas appellare possumus) quibus nunc vnam rem solam, nunc commixtim varias indicare consueuimus, quę tamen ne quidem ipsæ artificio carebunt, vt postea docebimus.

De partibus orationis Rhetoricæ.

PRiusquam autem diuersa Epistolarum genera sub his tribus caussarum generibus comprehensa distinguamus. Partes orationis Rhetoricæ paucis

paucis declaremus, quò ſingularum Epiſtolarum partes ſpeciales melius intelligantur. Sunt igitur orationis Rhetoricæ partes ſex. Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Confutatio, & Peroratio, quas nonnulli in quinarium, Propoſitionem à Narratione, cui adnexa eſt, non ſeparantes: alij in quaternarium, Confirmationem & Confutationem ſub vna Contentione comprehendentes, contrahunt. Sunt alij, qui & ſeptimam, nempe Diſtributionem Propoſitioni adiungunt. Nos medio modo aut ſex ponimus ſuperiores aut quinque iuxta tritum verſiculum:
Exorſus, Narro, Firmo, Confuto Peroro.
Sub narratione Propoſitionem continentes. Harum interdum plures, interdum pauciores, interdum ſingulæ in oratione vſui aut neceſſariæ ſunt.

Exordij ſecundum Ciceronem duæ ſunt partes, alterum vocat Principium à Græcis προοίμιον ab οἶμη cantilena, vel ab οἶμος via, quaſi prę-cantio, ſiue præambulum dicitur. Alteram vocat inſinuationem, & à Græcis πάροδος, quaſi latens ingreſſus dicitur. In principio tribus locis vtimur, nam reddimus auditores Beneuolos, Attentos, & Dociles: beneuolentiam captamus aut ab officio perſonæ noſtræ, cum præcipuè ad nos attinere oſtendimus, vt dicamus, vel ſcribamus: aut ab aduerſariorum perſona, præſertim in genere Iudiciali, cùm eos in odiũ vel contemptum auditorum adducimus: aut à commodis eorum ad

quos ſcribemus vel dicamus: aut à rebus ipſis, quæ tractandæ ſunt. Attẽtos reddimus auditores, ſi de rebus vtilibus, neceſſarijs, magnis, iucundis, aut nouis indicemus nos dicturos aut ſcripturos, & quæ maximè ad pietatem, vel ad rempublicam pertinere videbuntur, aut ad patriæ conſeruationem. Dociles quoq; reddimus, ſi nos dilucidè & planè dicturos aut ſcripturos, & ſummam cauſſæ breuiter expoſituros promittimus.

Interdum nihilominus à circumſtantia loci vel temporis, item a Voto, ab inſigni aliqua ſententia, à Fabula, ab Adagio, ab Affectus vocabulo, vt ſunt: gaudeo, doleo, demiror, & ſimilia præcipuè in Epiſtolis. In quibus id quoq; ſummopere cauendum, ne in Exordio diffluamus, aut prolixiores ſimus. Nam in breuibus præſertim Epiſtolis, vno aut altero verbo, ſeu breuiuſcula ſentẽtia beneuolentiam captare docti conſueuerunt.

De Inſinuatione.

INſinuatione, altera videlicet exordij parte, vtimur, ſi aut cauſſæ turpitudo adnexa eſt, aut animum auditorum à nobis alienum ſentimus, aut ipſos auditores præuia oratione fatigatos, noſtraue oratione vel Epiſtola fatigandos ſuſpicamur. Dicta eſt autem ab hoc Latinis Inſinuatio, quod per Diſſimulationem occultè & quaſi nõ data opera in animos auditorũ ſubrepẽdo nos inſinuamus, hoc eſt, latẽter immittimus. Vt ſi Græcarum lite-

literarum ſtudium, quæ pluribus præcipuè earum ignaris (quod fortaſſis nonnulli eis abuti videntur) aut ſuſpectæ, aut exoſæ ſunt, laudare vel ſuadere velimus, dicamus non perſonam, ſed rem ſpectari debere, nec ſcientiam aliquam aut ſtudiũ, propter eorum vitam, qui in ea ſtudioſi ſunt, virtuperari debere: & deinde pendentium in animos auditorum illapſi, ad noſtram ſententiam proponendam deueniamus. Hæc de Exordio paulò fuſius pro omnibus indifferenter cauſſarum generibus ſcripſi: ad reliquas orationis partes iam paulo ſuccinctius exponendas tranſeamus.

De quinque reliquis orationis Partibus.

NArratio ſecunda orationis pars, ſi neceſſaria aut vſui ſit, explicat cauſſam oratione tractandam, vel ea, quæ ad ipſam attinent, aut ipſam præceſſerunt. Ex qua mox inferenda Propoſitio, eſt tertia pars quæ nulli cauſſarum generi deeſſe debet. Quod ſi enim Narratio deſit, loco eius poſt Exordium Propoſitio ſubiungitur, qua aliarum rerum cõparatione thema aut ſtatum cauſſæ proponimus. Hanc deinde varijs argumentis in Confirmatione munimus, ſeu roboramus. Deinde ſi quid ab aduerſario vel obiectum ſit, vel obijci poſſit, vel ipſi Propoſitioni contrarium videatur, ſub Confutatione refellimus, aut excuſando diluimus. Eſt enim Confutatio (vt Cicero inquit)

contrariorum locorum dissolutio. Postremò omnium sequitur Peroratio, in qua post breuẽ præcipuorum argumentorum Confirmationis enumerationem studemus, auditorum mouendis affectibus, quibus duobus peculiaribus locis, nempe enumerationi & Affectui, Cicero etiam amplificationem adnectit. Hæ Rhetoricæ orationis partes & si non semper omnes in omnibus, plures tamen in pluribus frequenter aut deprehenduntur accommodæ, aut necessariè sunt doctè scribentium epistolis, id quod in singulis cauſſarum generibus paulo manifestius explicabimus.

De genere Demonstratiuo Personarum.

GEneris demonstratiui epistolæ, quibus, Personas, facta, & res laudamus aut vituperamus, per se quidem raræ sunt, frequenter autem in alijs epistolarum generibus aut laudationes aut vituperationes incidunt, & mixti generis epistolã efficiunt. Si itaque in aliqua epistola aut generis Deliberatiui vt frequenter, aut generis Iudicialis, vt frequentissimè. Persona laudanda aut vituperanda est, id fiet his locis sequentibus.

A natalibus, si splendidis, nobilibus, & honestis parentibus ortus, deducendo laudes ab auis, abauis, atauis, & sanguine coniunctis.

A pueritia, si bonæ indolis, si rectè educatus, & bonis moribus, & Christianis legibus institutus

tutus, si felici ingenio præditus sit.

Ab adolescentia, vt quam honestis se studijs occupauerit, quàm propensus ad literas, ad philosophiam, ad probitatem, & quemlibet honestum laborem, quàm morigerus parentibus, quàm abstinens vini & Veneris.

A Iuuentute seu Virili ætate, vt quàm decenter & publicè & priuatim se gesserit, quàm prudenter (videlicet) tempub. & domesticam administrauerit, quàm iustè innocentes defenderit & in facinorosos animaduerterit, quā pudicè sobriéq; coniugem, liberos, & totam familiā aluerit. Nam hoc loco cōducit (maximè si variæ sint) secundum quatuor genera virtutum, Prudentiæ, Iustitiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ res gestas explicare, & in ordinem quendam redigere.

Ab ipsa senectute pari ratione, atque à Virili ætate. Ab vltima morte quoq;, si quid laude dignū occurrerit. Nec minus etiam senectuti, quàm Iuuentuti imò tutius committi solet rerum administratio. Et in ipsa Christiani hominis morte, tum virtus, tum fiducia in Deum plerunque magis eluceſcit. Porrò in vituperationibus hos locos in contrarium torquebimus, vt à natalibus improbis vel obscuris. Ab indole peruersa, & mala educatione. A studijs adolescentię inhonestis, &c. Inter hæc licebit nunc dotes animi, nunc corporis cum laude cōmemorare, aut eorum mōstrositatē vituperare.

Item commendare solemus personam à Natio-

ne,à patria,ab Habitu, à Conditione, à Fama, & cæteris perſonarũ circumſtantijs,de quibus obiter in Dialecticis noſtris.Et quia demonſtratio Perſonarum tota fermè in laudum commemoratione verſatur,præter Narrationem aliam ferè orationis partẽ non habet,niſi fortè occurrat in vita hominis aliquid laude indignuũ,quod vel defendendũ, vel excuſandum eſt.Peroratione quoq;admittit,dum auditores vel ad gratulationem, vel ad Dei laudem optimi viri laudibus incitamus. Et quia exempla rudibus non minus conducant quàm præcepta, craſſiùs in laudando Dauide prædictos hos locos puero quaſi digito tangendo oſtendam.

Exemplum de laude Perſonarum, cuiuſmodi in Epiſtolam incidere poteſt.

DAuid Rex Iſraël, quẽ tibi generoſe Princeps, præ cunctis terrarum regibus & laudandum cenſeo, & paucis laudare decreui, ex tribu Iuda inter cæteras Iſraëleticæ gentis trib.generoſiſſima, parte Iſai (quem & Ieſſe dicimus) non ignobili Bethlehemiticæ ciuitatis, imò Chriſtianæ generationis principe natus eſt. Quod ſi parui ducas, & ad laudem viri parum facere contendas, honeſto loco probiſq; parentibus fatum eſſe,quod nõ tam locus & genus,quàm propria virtus hominẽ laudare debeat,audi quod parui ducere non queas.Is ſiquidem ab incunabulis diuinæ religioni deſtinatus,probè & pudicè educatus probis moribus (vt

erat

erat ad eos animo propensus) secūdum patrias & Dei leges tā rectè institutus, & diuinis literis eruditus est, vt inter omnes sibi coætaneos secundum non habuerit. Vsque adeò verò diuinæ laudis studiosus in primæua ætate, quæ rudis adhuc & pietatis ignara iudicari poterat, fuisse deprehenditur. vt & iam cū adhuc puer oues patris sui in deserto pasceret, psalterio & cythara, quæ mira artis suæ industria ipse compingebat, diuinas laudes personaret. Imò tanta pietate emicuit, vt cæteris quanquā eximijs, despectis fratribus ipse natu minimus in regem Israëletici populi & prophetam vngeretur. Eius præter alia virtutum insignia, adolescentiam decorabat non modo cum leonibus & vrsis pugna & victoria, verumetiā quod cū Goliah Gethæo gyganteæ magnitudinis viro (ne bellua dicam) pro patrijs & Dei legibus, gentecq; sua libertati seruanda, non clypeo protectus aut galea: sed firma mentis in Deum fiducia congressus est, & absque lancea & gladio, baleari funda fortissimè strauit. Quis dignè enumeret, quam non solùm in tranquillis regni negotijs, sed etiā in re bellicā administranda & iustè & prudēter se gesserit? quàm fortiter Saulis & filij persecutiones, aduersaque omnia tollerauit? quàm mansuetè etiam lethales hostes pertulerit? quantoque temperamento rebus etiamnum corpori necessarijs semper & vbique vsus est? Vnum si demas adulterium sanguinarium, quod diuina dispensatione admissum

Adolescentia.

Iuuentus.

Confutatio.

quis dubitat? nempe vt quãtumuis nobis religiosi videamur nunquam tamen nobis ab humani generis hoste securitatem promittamus, & nihilominus post maxima flagitia, reliquum nobis pœnitentiæ præsidium non diffidamus. Hic tanden post patriam ab allophylorum tyrannide vindicatam, post barbaras nationes sibi cum gloria subiugatas, post religionẽ collapsam in ordinem pulcherrimũ restitutam, post amplissimas auri, argenti, æris, & omnium diuitiarũ copias pro templo domini ædificando coaceruatas, post filium Solomonem in regnum sibi substitutum, in senectute bona secundum scripturã pius, prudens, mente integra, & plenus in Deum fide, quieuit in pace, nõ sine ingenti Hierosolymitarum & totius Israëleticæ gentis cõploratione, luctu, & planctu. Sepulchroq; suo mõtem Sion cunctis post se Iudęorum regibus sepulturam dedicauit, Christumq; suum secundum carnem filium cum eo consurrecturus expectauit.

Senectus.

Mors.

Hoc vel simili modo, cuius ego duntaxat summa locorum capita tetigi, in genere demonstratiuo Personarum, pro diuersa hominum conditione, si laudes cuiuspiam epistola postulat, aut breuius, aut prolixius tractare possumus.

Demonstratiuum Factorum.

IN demonstratione Factorum partes orationis (vt antè dictum est) sunt sex. Ordimur non secus atque generaliter inibi traditum est. Narramus bre-

breuibus, si facti ratio satis auditoribus non cõstat. Si cõstat, tantum summariam facti rationem, hoc est præcipua narrationis capita verbis pauciſſimis memoramus, vnde totius causæ Propositionẽ seu statum elicimus. Proponimus autem cum aliorum factorum laudabiliũ eiusdem, vel alterius hominis cõparatione, quibus nostrum, quod laudare decreuimus, excellentius iudicamus. Cum Propositione (vt docet Cic.) licebit & vti Distributione seu diuisione, qua breuiter auditorib⁹ indicam⁹, quibus de rebus simus dicturi, aut quibus ex locis propositum nostrũ roboraturi in Confirmatione. Est igitur factũ laudandum ab his locis Confirmationis.

Ab honesto, sub quo iustũ & pium cõprehendo.

Ab vtili, sub quo necessarium & iucundum.

A difficili, sub quo Facile pro aduersario.

Honestas virtuti coniuncta est. Quicquid enim vel ipsa virtus est, vel virtuti cognatũ est, vel à virtute proficiscitur, vel ad virtutem conducit honestum iudicatur. Nã Ciceroni Honestum diuiditur in rectum & laudabile Rectum dicitur, quod cum virtute & officio fit. Id quoq; diuiditur in Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, & Modestiam, seu Tẽperantiã. Videndum est itaq; quemadmodum secundũ has virtutes nõ modò Factum in hoc genere, verumetiam res quælibet laudari possit, aut his contrarium vituperari. Laudabile est, quod rectè factum cum laude commemorationem habet. Quicquid igitur ad rerum appetendarum & fu-

giendarum ſanum conſiliũ pertinet: Quicquid ad veram amicitiam, fidem, officium, æquitatem, obedientiam, gratitudinem: Quicquid ad pietatem in Deum, patriam, parentes, liberos & proximos: Quicquid ad ſeueritatem legum, animaduerſionem in facinoroſos, remunerationem & defenſionem bene merentium attinet: Quicquid ad malorum tolerantiam, longanimitatem, periculorum pro religione, patria, parentibus, liberis, amicis aggreſſionem attinet: Quicquid ad caſtitatem, ſobrietatem, frugalitatem, & rebus in omnibus moderamen attinet, honeſtum, ijſq; contrarium inhoneſtum ſemper iudicamus.

Vtilitas, commoda varia ex facto prouenientia complectitur, quibus vel inſtantia vel conſequentia pericula vitari poſſe oſtendimus. Vtilitatem tamen longè ſuperat Neceſſitas, ſi inde argumentum ducatur.

Difficultas ex circumſtantijs rei geſtæ colligitur, quæ partim Perſonis, partim Rebus conuenientes hoc verſiculo ſuggeruntur.

Quis, quid, vbi, quib. auxilijs, cur, quomodo, quando.

In confutatione ijſdem locis per contrarium vtimur, vt in laudibus, quam aduerſarius dixerit ſtultitiam, nos contrà prudentiam: quã ille ſæuitiam, nos ſeueritatem: quam ille temeritatem, nos fortitudinem: quam ille tenacitatem, nos frugalitatem oſtendamus. Et contrà in vituperationibus, quam aduerſarius dixerit prudentiam, nos contrà

trà ſtultitiam aut inconſiderationem: quam ille ſeueritatem nos ſæuitiam: quam ille fortitudinem, nos temeritatem: quam ille frugalitatem, nos tenacitatem oſtendamus.

Perorationem generaliter ſuprà declarauimus, qua ſub hoc genere auditorum animos poſt præcipuorum enumerationem argumentorum, vel ad gratulandum in proſperis, vel ad commiſerandum in aduerſis, per amplificationē mouemus. Hos locos paulo copioſius proſecutus ſum, quòd non tātum huic generi Demōſtratiuo factorū, ſed etiam rebus laudandis conueniant, & nihilominus toti generi Deliberatiuo, vt ſuis in locis patebit.

Exemplum de laude factorum.

INter omnia, quæ vel publicè vel priuatim illuſtriſſimus rex Dauid inſigniter geſſit, nihil eſt, quod maiore dignū laude æſtimemus, quā quod diuini nominis hoſtem Goliah Gethæum vaſtiſſimo corpore vndiq; armatum virum, puer inermis ſingulari cōflictu fortiſſimè ſtrauit ac vicit. Quod luce (vt aiunt) clarius erit, cum rei geſtæ honeſtatem, vtilitatem, imò extremam neceſſitatem oſtēderimus. Si non modò honeſtū, ſed etiā glorioſum eſt pro patria pugnare, profecto pro Dei nominis gloria, pro religione, pro patria tuenda pugnare multò omniū glorioſiſſimū iudicabimus. Non ferebat quoq; generoſi puer animi clariſſimę gentis contumelias ab homine ſpurio, multoq; maximè

Propoſitio.

Abhonesta.

diuini nominis execrationes & maledicta ab homine impio introrqueri: sed cõsiderabat prudẽtissime quãtũ de decoris & infamię sancto Israëleticę stirpis populo per totum terrarum orbem nominatim inureretur si inter tot regni Israëletici pugnatorum millia, ne quidem vnus repereretur, qui profanæ gentis obscuro militi posset occurrere.

Ab æquo. Considerabat quoq; æquissimum fore, vt eas corporis sui vires pro gente & patria sua seruãda fortis exerceret, quas sæpenumero cum leonibus cõgressus & vrsis quasi per lusum expertus fuerat.

Confutatio. Nec terruit eum antagonistæ vastissimi corporis moles, non lorica humata & ponderosa, non hasta trabalis & rigida, non cassis ænea, non clypeus ęreus, non gladius acutus, non denicq; totius corporis horrida panoplia, sed sola in Deum fide munitus (ne quis ipsum temeritatis arguat) delectis e torrente limpidissimis quinq; lapidibus funda belluã aggressus fortissime strauit, proprioq; eius gladio è vagina educto altior insurgens caput ipsi præcidit.

Ab vtili. Si vtilitatem spectes, quis commoda Facti digné recenseat? Regem Saul & optimos quosque exercitus duces non solùm vitę seruauit, sed etiam gloriã illustrauit. exercitum victorem domum remisit, hostibus & vires, & animũ ademit, gentẽq; suam totam à sæuissima barborum tyrannide vindicauit. Quid commoda memoro, cum fuerit ipsum factum etiam necessarium? Nisi enim cęderetur Goliab, actum erat de Israëlitarum republi-

A necessario.

ca

ca de parentibus, de vxoribus, de liberis, de aris & focis, de tota denique patria & salute Quibus non hoc etiam ad laudem rei gestę merito pertinere videatur, qnod ipse puer gyganteæ magnitudinis virum, ipse inermis, galea, lorica, ocreis, hasta & clypeo vndiq; munitum, ipse inexercitatus, bellatorem ab adolescentia semper in armis versatum, non ex insidijs, non fraude, non maleficijs, sed palā singulari certamine, funda non modo vicit, sed & fortissimè strauit, suoque ipsius gladio caput ei præcidit? Quanto namq; apparet in rebus feliciter agendis maior difficultas, tanto in ijsdem indicatur amplior laudis materia, & glorioſiór de tyranno triumphus. At nequis negotium tam ardnum, & in rebus humanis tam inusitum & inauditum temeritatis insimulet, audiat ipsum pugilē non tam suis viribus & pastoralibus armis, quam firma in Deum fide nixum, diuinoque zelo armatum cum hoste congressum. Sic enim probro & contumelia affectus in ipso conflictus procinctu respondit antagonistæ. Tu venis ad me cum gladio, hasta & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituū, Dei agminum Israel, quib. exprobrasti hodie, & dabit te dominus in mea manu, percutiā te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadavera castrorum Philistum hodie volatilibus cœli & bestijs terrę, vt sciat omnis terra, quòd non in gladio nec in hasta saluat dominus, & reliqua.

A difficili.

Confutatio.

Huiusmodi artificio breuiùs, aut prolixiùs tum

in epistola præcipuè, si factum quodlibet laudandum sit vt poterimus. Porro in Vituperationibus vtimur locis contrarijs, Inhonesto, inutili, &c. aut certè hos laudem locos neq; pium in contrarium torquebimus. Reliquæ orationis partes eædem cum superioribus sunt.

Demonstratiua rerum.

IN rebus laudandis aut vituperandis fermè ijsdē locis, quib. in factis vtimur in cōfirmatione. Reliquæ siquidē orationis partes prorsus iuxta analogiā superioribus in Factis laudandis similes sunt, nisi quòd Narratio in hoc genere ratò locum habeat & propositio, qua loco Narrationis post Exordium vtimur, aliarum rerum laudabilium comparatione potissimum fiat. Confirmationis itaque tres sunt loci præcipui, vt in superiori genere:

Honestum sub quo Iustum, Pium, &c.

Vtile, sub quo Necessarium, & delectabile.

Facile vel difficile.

Honestas tractatur nō sectis, atq; iam dictū est. Item nōnunquam ab ipsius rei antiquitate. Nonnunquam ab ipsis inuentoribus, vel authoribus, nonnunquam à mira quadam & celebri nouitate.

Vtilitas præcipuè ex circumstantijs colligitur, quemadmodum & Facile vel Difficile: vt suprà diximus, & infrà in genere Deliberatiuo dicturi sumus. Loci siquidem huius generis cum Deliberationis plurimum conueniunt.

Exemplum earum rerum, quæ in hominibus laudari aut vituperari ſolent.

INter omnia quæ in humanis ſtudijs cõmẽdari ſolent, præcipuam quãdam laudẽ meretur Eruditio, quæ non ſolum ignorantiæ opprobrio liberat eum, qui ſe poſſidet, verumetiam multifariam honeſtat & adiuuat. Hanc enim vt cæteris animãtibus præſtaret, ab initio mundi naſcentis primo homini, alijſq; multis per poſteriora ſecula ad noſtra vſq; tempora diuinitus inditam non dubitamus. Id ſiquidem ingenij quod ad diuinæ naturæ imaginem homini inditũ eſt, niſi eruditione præcipuè & virtute excolatur quantulum eſt quæſo, quo à brutis diſtamus? Communiter namq; cum brutis viuimus, mouemur, gradimur, & ſenſuum tum exteriorum, tum interiorum vſu & voluptate perfruimur, ſola autem eruditione & virtute præſtamus, vtpote diuinæ conſortes naturæ. Et ſi quid fabulis tribuimus, hæ ſunt geminæ, diuinæ originis virgines, quæ Herculi genetoſo adoleſcenti, ſi ſe amplecteretur, diuinum honorem & immortalem gloriam pollicebantur. Hæ tanta inter ſe cognitione coniunctæ ſunt, vt altera ſine altera pepetuò minor videatur, quod altera ſemper alteram illuſtriorem reddat. Imò (ſi fas ſit dicere) Eruditio virtutis mater eſt, quòd ex ea præſertim virtus proficiſcatur. Eruditio ſiquidem ſcripturam tum diuinam tum humanã intelligere facit.

Propoſitio.

Ab honeſto.

ex qua quicquid vsquā virtutis est, quicquid pietatis est, quicquid diuinæ cognitionis est, hauriri necesse est. Et vt scias, quantum decorat hominē eruditio, quantum obscuret eum literarum ignorantia, exactè considera: nempe quæ reddit hominem omnium appetendarum & fugiendarum rerum ignarum, virtutis & probitatis nescium, ignorantem, sui ignorantem Dei, & ad brutorum ingenium proximè accedentem. Accedit & hoc ad eruditionis laudes, quòd in rebus humanis nihil sit, quod vsque adeò reipublicæ & priuatæ cōducat, plus dicā, quòd in vniuersum magis necessarium sit, quàm literarum cognitio. Si tollas è mundo eruditionem, quid erit resp. nisi asinorum stabulum, immò vrsorum & luporum latibulum? si tamen reipub. nomenclaturum mereatur. Quis legibus ignoratis ius dicturus est? Quis defendet insontem? Quis consulet oppresso? Quis medebitur ægrotum corporibus? Et (quod primum dictū oportuit) quis insipiens plebeculæ, doctrina sana, viam salutis demōstrabit? Per eruditionem præterea quisque prudenter administrat rem domesticam, erudit liberos, prouidet rei familiari, acquirit claritatem inter ciues, rebus non vulgaribus præficitur, in rebus arduis sibi consulit, in rebus aduersis consolatur, in rebus quoq; prosperis moderatur, & quod omnium iucundissimum est, eiusdem eruditionis contubernio multò suauissimo, etiam cum maximè solus est, vsque perfruitur.

Ab vtili & necessario.

Ab iucundo.

Iuxta

Iuxta hoc exẽplũ & alia tractanda ſunt ſimplicia themata, earum preciputæ rerum, quę in homine vel laudari vel vituperari ſolent. Porrò in vituperationibus contrarijs locis vtemur, vt prædictum eſt.

De alijs diuerſis rebus laudandis.

SVnt & aliæ res variæ quæ non in homine, ſed in ſe laudari ſolent, in quarum laudibus ſeu vituperationibus, diuerſis pro diuerſa earum conditione locis vtemur.

Regiones enim laudamus à regibus earum ſiue ducibus vrbium in eis frequentia, à celeritate, à copia anonę, à tranquilitate rerum, à tuto tranſitu, &c.

Vrbes laudamus à reipub. adminiſtratione, à religione & literis, à populi frequentia, à ciuium bellicoſitate, vrbanitate, concordia, ab ędium magnificentia, à rerum neceſſariarum facili copia, à ſalubritate aëris, à fluminibus allabentibus, à villis, montibus, fontibus, ſyluiſque vicinis. Vituperamus à contrarijs.

Aedificia laudam° à ſitu, à proſpectu, à figura, è magnitudine, ab amplitudine veſtibuli, à magnificentia atrij, à pulchritudine ſeu multitudine cubiculorum, conclauium, triclinorum penetrarium, ab hortis adiacentibus. Item à precioſitate lignorum, lapidum, variaq; eorum ſculptura & ornatu.

Agros laudamus à fertilitate, declarantes quid ferant, & quantum ferant, item quo ritu colantur,

cuiusmodi cultores habeant, item à planitie, seu montositate vtili & amena.

Flumina laudamus ab ortu, à colore, cursu, ab amplitudine à locis, quos præterfluũt, & quos influunt à genere piscium, nauigiorũ, ratiũ, & cæteris vsibus, ab agris, syluis, nemoribus, quæ irrigant.

Fontes laudamus à perpetua & abundanti scaturigine, ab aquæ dulcedine & salubritate, item si quid memorabile aut prodigiosum habent.

Montes laudamus à radicibus, ab altitudine verticis, à vini, frumenti, & aliarum rerum feracitate, item si quid nouum, prodigiosum, aut pretiosum in se continent.

Sic alias res quaslibet, consideratis earum circumstantijs, laudare aut vituperare poterimus. Exempla apud Poetas, oratores, historicos, & alios authores obseruanda sunt: nobis sufficiat locos aliquot præscripsisse.

De Epistola demonstratiua Personarum.

TAmetsi prius dictum est, per se quidem Epistolam Demonstratiuam tarn esse, si quis tamen eius præcepta (quod & ipsa nonnunquam, incidere solet) exigat, sciat eam in tres partes diuidendam, modò persona laudanda sit. Quarum
1 Prima captabit beneuolentiam, aut à persona eius ad quem scribimus, quasi iusserit is vel postulauerit: aut à persona eius, de quo scribimus, quod

talis

talis sit videlicet; cuius laudes meritò declarentur aut præcipuè ab officio personæ nostræ, quo amicum illaudatum præterire non debeamus. Secunda explicabit laudes amici vsque ad præsentem eius ætatem, nisi clauserit diem nouissimũ. A natalib. A pueritia, &c. vt in demonstratiuo personarum dictum est. Possumus tamen omissis illis locis aliquem laudare ab insigni aliqua virtute, ab eruditione, à re fortiter gesta, prout epistolaris aut quantitas, aut qualitas postulauerit, ratióue suggesserit. In Tertia dicemus nos non assentationis, sed amicitiæ & veritatis declarandæ gratia paucula de multis viri laudibus dixisse, nec ob singularẽ laudati amicitiam, aut eius, qui scribi voluit, reuerentiam omninò silere potuisse. Monendo etiam si commodum fit ad effectum amicitiæ, fauoris, imitationis, largitatis, &c. 2 3

Huius præceptionis exemplaris Epistola.

CVm sciam te, vir ornatissime, excellẽtissimorũ laudibus non immerito delectari, & Cornelij mei eruditio, mores & conuersatio tales sint, vt etiã externos ad sui contẽplationẽ alliciant, nõ possum propter singularẽ, quam mecũ habuit, familiaritatẽ & amicã consuetudinem quin (tametsi laudator elinguis sum) in laudes eius prorumpam, præsertim cùm tu de huius viri moribus testimonium quæras. Sciens prætereo natalium eius splẽ- 1

dorem, bene educatam infantiam & pueritiã optimis & præcipuè literarum ſtudijs exercitã adoleſcentiam, oris, & pectoris, & omnium totius corporis membrorum venuſtatem, vt quæ ſapientibus plerunque contemptui habentur, ea tantum paucis celebrabo, quæ ſapientibus non minus, quã inſipientibus meritò laudari debẽt, & quæ ne Momus quidem reprehendere queat. Tanta eſt in hoc viro (ſi Philoſophiam & rerum tum diuinarum, tum humanarum cognitionem ſpectes) eruditio, vt ætas hæc noſtra ſecundum non habeat. Si mores quoque ſpectes & omnem vitę eius conuerſationem, Catones, Scipiones, Curios videre te putes. Quis dignè efferat, quàm prudenter pro ſua ætate adminiſtrauerit rempub. quã fortiter noſtræ tempeſtatis (quàm proh dolor calamitoſam deploramus) aduerſa pertulerit, quã in iudicio ſeuerus & incorruptus, quàm in cauſis prætorij perorandis ſplẽdidus & ἐπαγωγος? Quid attinet eum in rebus quoq; priuatis laudare, cum vel pueri caſtam eius coniugem, verecundos, & eruditos liberos, totam denique familiam ſobriam, bene moratam & ordinatã iuſto præconio prædicent? Et vt ſummatim multa perſtringam, talis & tantus eſt, vt ad maxima quælibet adminiſtranda (ſi velis) ſine rubore, promoueas. Nolo in præſentia nimis viri laudibus immorari ne aut epiſtola videat modum excedere aut aſſentationis alicui notam incurrere. Cum dabitur otium, euidentius aut particularius ſingula

tibi

tibi coram explicabo. Interim tũ vir ornatiſſime, ſi quid magnum de Cornelio noſtro ſtatueris (neq; enim fruſtra de moribus & cõſeruatione eius tibi ſcribi voluiſti) ipſum nõ ſecus, atq; me fauore, beneuolẽria & amore proſequere. Vale ex Traiecto.

Epiſtolam demonſtratiuam Vituperij paribus præceptis & ijſdem locis ſcibere licet, laudibus in vituperationes mutatis, & locis in contrarium tortis, vt priùs dictum eſt.

Aliud Exemplum.

QVando quidem, iucũdiſſime ſodalis, ciuitatis Legiæ (vt eam veteres à legione Romana hic cæſa appellarunt) quàm bonis auibus (vt aiunt) pluſculis menſibus habitare cœpi, tibi ſitũ, mores, rẽpublicã, & ſi quid egregiũ præ ſe ferat depingi voluiſti, nec minus ad hoc me incitat eximia, quæ ſe vlrrò ingerit, laudis materia, non poſſum, ſi & alumnę meæ gratificari, & tibi morem gerere velim, quin paucula è multis tibi Leodij noſtri præconia ſcribam. Vidi plures diuerſarum regionum, nobiles ciuitates, verùm nõ eſt alia (ſi ſingula quæ hic eximia ſunt conferantur) quæ mihi magis arrideat. Hæc namque ciuitas ex maxima ſui parte in cõualle ſita (tametſi nõ minima pars eius ex mõte dependet) vndique plena amœnitatis eſt. Si ad orientem ſpectes, rapidiſſimũ cœſi coloris fluuium Moſam ſpaciosè delabi cernis: quem non fordidæ profectò negotiationis nauibus & ratibus paſſim

1 *Exordium.*

Propoſitio.

2 *A ſitu.*

singulis penè momentis sursum ac deorsum sollicitari,& iuxta & intra mœnia iucundissimè cernimus.Si ad meridiē, montes syluosos alios alijs altiores cum valliū suarū amœnitate tanquā in tabula pictos contemplari licet.Si te vertas ad occasum,dij boni quid illinc voluptatis haurias? Visus non assequitur latissimos totius Hasbaniæ cāpos, tritici,orizæ,migmatis, cæterorūq; frumentorum feraciſſimos.Quales & ad plagam septentrionalē vides,præter hos quorum iucundissimo, etiam vinearum intra mœnia ex monte pendentium,aspectu delectaris. Cū iam non data opera intra mœnia redierimus, quis dubitet tum heroum tum ciuium multorum in hac vrbe (quamuis olim Burgundiorum incendio euersa & desolata sit) excellentissimas aut instauratas aut denuò extructas ædes, vbi paruo admodū ædificioū materia comparatur?Ligna per Mosam secundo flumine contignatis ratibus proximæ syluæ, lapides solidos & sculptiles,proximi montes, calcem viuam vicinæ cautes suppeditant.Ferrū præterea,æs, plūbum,& reliqua id genº metalla in suburbanis effodiuntur, conflantur,purgantur,ferriq; structuræ mira industria molis aquatilibus, in baculos (vt vocant) excuduntur. Hic fontes sunt amœnissimi perpetua scaturigine manātes, quorū aquæ limpidissimæ & indigenis in potum sumptæ sunt & suauissimæ & saluberrimæ. Videas diuersa monasteria, & ædes diuitum,in quibus ne vnā quidē officinā inuenias, quam

A copia rerum.

quam non fons viuus cõmodissimè adornet. Neq; hoc silentio prętereundũ censeo, quòd, cùm montium commoda recensérem, minimè succurrebat: Hic nempe montes diuersi sunt, ex quorum profundissimis & abstrusis cauernis non minus prodigiosa, quàm precioſa ignium fomenta instar lapidum dura, & instar carbonum nigerrima eruuntur, & ad vicinas regiones transuehuntur. Quanquam autem ligna paruo admodum nobis redimi possunt, & lignariorum suffocati carbones: malũt tamen ad focum instruendum hac naphtha carbonaria quam lignis vti. Veniam vel tandẽ ad rempub. quæ propter equestris ordinis dignitatem & modestiam, magistratus eruditionẽ & prudẽtiam, plerũque totius concordiam, simplicitatẽ, & in rebus manuarijs diligentiam, pulcherrimè exornatur, administratur & viget. Et ne clerum nostræ ciuitatis pulcherrimum decus præteream tanta est ei cũ populo Leodino societas & vnitas, vt maiorẽ non quæras: tanta est & dignitas & amplitudo, vt clerum vestrũ Traiectinũ cum suo Pontifice facilè superet: tanta deniq; numerositas, vt citra alpes aliã non inuenias ciuitatẽ, quæ huic numero cleri valeat comparari. Sũt enim nobis canonicorũ collegia septẽ aut octo, Abbatiæ (vt vocãt) quinq; templa parochiarũ triginta duo, & reliqua monasteria incerto numero, in quibus omnibus præter religiosissimum Dei cultũ præter summam eruditionem, præter illustrium virorum generositatem

A montibus prodigiosis.

A repub.

A clero.

A re litteraria.

quis digno præconio rerum precia, extructa ædificia, hortorũ amœnitates explicet? Et ne rẽ ſcholaſticam & literariam præterijſſe videar, tametſi fortaſſis alibi bonæ literę plus maturuerunt, nuſquam tamen (auſim dicere) hac noſtra tempeſtate magis florent. Mireris pueros ſeptennes Latinè loquentes, & qui decimum quartum ætatis annũ nondum attigerunt ſi proſa valere & carmine, vt eum quouis oratore & Poëta certare poſſe videãtur. Vt ſileam autem (ne quis me vel arrogantem vel περίεργον iudicet) ciuium noſtrorum tum animorum & corporum robur, tum in rebus bellicis animoſitatem & ſtrenuitatem, quam non modò priſtinis temporibus Romani, verumetiam poſterioribus ſeculis reges & magni nominis principes experti & mirati ſunt: vt ſileam quoque vrbis amplitudinem, & ciuium frequentiam, cuius Traiectum veſtrum tertiam partem non attingit. Certè aëris non modò ſuauitatem, verumetiã ſalubritatem ſilere non poſſum, quem celeberrimus noſter ὁδοιπόρος Ioannes Mandauillanus poſt vniuerſi orbis, Aſię, Africę, Europæ peragratas regiones, longè ſuauiſſimũ & ſaluberrimum iudicauit. Habes, mi ſodalis, paucis perſtricta capita quædã generalia de huius ciuitatis laudibus, quæ ſi velim ſpeciatim explicare, deficeret mihi tempus narrãti, viderem quoque me tam veram topographiã, quàm cum Luciano veram narrationem texere. Faxit Deus, vt huc tandem profectus cuncta quæ ſcripſi,

A ciuibus.

Aeris ſalubritas.

scripsi,& plura, quæ scribenda forent, oculis obiecta contempleris. Vale,ex Leodio,&c.

Vides, ni fallor, puer in hoc posteriori exemplo pro laudandis vrbibus diuersos locos eadem ferè nomenclatura,etsi non eodē quo præscripti sunt, ordine obseruatos. Idem in alijs quoq; rebus laudandis aut vituperandis exemplis subiectis facturus eram,si non magis operis prolixitatem, quàm laborem vitarem. Ad genus itaq; Deliberatiuum procedamus.

Aliarum rerum laudabilium, vt regionum, Aedificiorum, Agrorum, &c. paradeigmata non ponimus. Primùm, quod prolixitas legentibus esset onerosa, deinde quod secundum præcedens exēplum ex locis præscriptis studiosus ad simile dē rebus illis affingere citra laborem possit. Ad genus Deliberatiuum transeamus.

De generis deliberatiui Epistola.

PArtes orationis generis Deliberatiui easdem ponūt rhethores, quas suprà in genere Demōstratiuo posuimus, nisi quòd Narratio rara est, incidit tamen nonnunquam etiam in epistolis: cùm videlicet factum aliquod de quo deliberandū est, paucis explicamus, aut si quid actum vel dictum est, quod ad causam attinet, recitamus. Ijsdem quoque locis in Confirmatione vtimur, quibus in Demonstratiuo factorum & rerum prius vtendum docuimus, qui sunt.

Honestum, quod rectum & laudabile, immò quicquid ad virtutem attinet, complectitur.

Vtile, & necessarium, Vtilitas autem ex enumeratione commodorum, & incommodorum innotescit.

Possibile, aut Facile: quę ex circumstantijs præcipuè ostenduntur.

Difficile, aut impossibile: item ex circumstantijs, si quid dissuademus, haud dehortamur.

His locis (si caussa postulet) in omni Epistola Deliberatiua non secus atque in oratione rhetorica vti possumus, & ea ratione iuxta analogiam, qua in demonstratione factorum & rerum priùs ostensum est, ostendentes videlicet id, quod persuadere decreuimus, Honestum, Vtile, Facile esse: contrà ostendentes rem aliquam inhonestam vel impiam, inutilem vel periculosam, difficilem vel impossibilem esse. adeoq; fugiendam vel detestandam esse. Nihilominus singulis epistolarum generibus sub hoc causarum genere militantibus peculiares cum suis locis partes assignabimus, vt studiosus maiorem in Epistolis, quàm in ratione scribendi videat libertatem.

De Epistola commendatitia.

PRimum occurrit Epistolarũ genus, quod Cõmendatitium vocant, quo amicum amico pro aliquo beneficio vel fauore cõsequendo cõmendamus: cuiusmodi Cicero tũ in pluribus, tum præcipuè

cipuè in decimotertio epistolarum libro vsus est. Quod idcirco primo loco posui, quòd plerúq; ex genere demonstratiuo non partùm admixtũ habet. Solemus enim eum, quẽ alijs commendamus, frequenter oportuna laude extollere, quo ad eius, ad quẽ scribimus, animũ, commendato conciliemus. Partes huiusmodi Epistolæ secundũ tres personas, eius videlicet, ad quem scribimus, nostræ, & commendati, secundum rem præterea quæ postulatur, consideratam, sunt quatuor aut quinque.

In prima captamus beneuolentiam (si necessarium videatur) ab humanitate, benignitate, vel liberalitate eius ad quem scribimus, licet inter familiares amicos hæc pars plerunq; negligatur. 1

In secunda causas scribimus, quæ nos mouent ad aliquem commendandum, vt est amica commendandi consuetudo, beneficium acceptum, cõmiseratio, vel id genus alia. 2

In tertia commendandum laudabimus pro quantitate Epistolæ eo, quo præscriptum est modo in genere demonstratiuo personarum. A natilibus, ab indole, &c. 3

In quarta rem ipsam exponemus, quam in cõmendatione pro amico postulamus, ostẽdentes eã variis argumentis honestam, justam, piam, aut virtuti cognatam, item vtilem aut necessariam, prẽterea non modò possibilem, sed etiam facilem ei, ad quẽ scribimus: secundũ locos Confirmationis generis Deliberatiui. Pollicebimur quoque in quinto 4

loco & nos & commendatum amicum noſtrum gratos futuros, mutuam quoque noſtram operam & ſtudium deferemus.

Exemplum quod Græcis Paradeigma.

1 *Exordium.* NIſi certo cognoſcam tuam non ſolũ erga me ſummam, verumetiam in omnes, tametſi alienos, bonarum literarum ſtudioſos, non vulgarem beneuolentiam, vererer profectò mi Chryſogone in aliquo præſertim negocio ſtudiorũ tuorũ tranquillitatem temerè appellare. Verum cum iam te ſciam pro amicitia ſubinde renouanda malle ab amico ſollicitari, quàm ea marceſcente quietũ eſſe, audacter te paucula pro amiculo poſtulaturus accedo. Gualterum meũ, qui has meas tibi porrigit literas, propter eius affectum erga me ſingularem vehementer diligo. Nam ab incunabulis me non ſecus ac parentem ſemper coluit & diligentiſſimè obſeruauit. Is cũ te mei ſtudioſum planè cognoſceret, ſeque meis apud te literis gratioſum fore confideret, vt pro ſe ad te ſcriberem, obnixius rogauit: quamuis non dubitẽ ipſum modeſtia, verecũdia, alijſq; honeſtis ſuis moribus etiam ſine noſtra cõmendatione plurimum tibi placiturũ. Eſt enim adoleſcẽs honeſtus admodum, tametſi tenuis fortunæ, natus parentibus, probè domi ſemper & pudicè educat° bonis literis à teneris (quod aiunt) vnguiculis non ſolũ appoſitus, verumetiam ſummoperè intentus. In quib° ita Dei numine aſpirãte pro-

2 *Narratio.*

2 *Loci personarum.*

profecit, vt & carmine & prosa omnes suos in ludo nostro commilitones facilè superauerit. Quid enim non posset (quantam in eo deprehendes) tãta virtuti cõiuncta ingenij acrimonia? Nemo siquidẽ illum vidit vnquam immoderatiùs bibentem aut improbè lasciuientẽ, nemo verbo aut verbere cõtentiosum, nemo per luctũ quęstuosum, sed parẽtibus & amicis obsequentem, præceptoribus tractabilem, commilitonibus vsq, se comem prębuit & amabilem. Quid multis? Talis est adolescens, quem meritò probi omnes & ament & commendent: is scholis nostris valedicturus & istuc profecturus, cum neminẽ nouerit Louanij, qui sibi possit esse præsidio, optat per me sibi cuiuspiã conciliari gratiam, cuius consilio vel auxilio subinde se tutò committat, teq; ex omnibus fama duntaxat cognitum vnum delegit, quem parentis loco istic habeat. Quod negotium mi Chrysogone cum sine magno tuo incõmodo subire, piè & iustè exercere, & cum magno virtutis fœnore honestissimè amplecti valeas, etiam atq; etiã oro, vt talem te adolescenti in rebus dubijs, in negotijs arduis, in fortuna prospera & aduersa patronũ exhibeas, qualem te meis liberis, si postularẽ, exhibiturus esses, vt intelligat commendationem pro se meam apud te plurimum valuisse. Ego vicissim enitar, vt beneficij in nos cõllati te minimè pœnituerit, sed aliquando (tametsi turpe videtur in vera amicitia polliceri) dignum beneuolentia tua fructum reci-

Loci Deliberatiui.

pias. Habebis me, habebis etiam illum perpetuò gratissimum debitorem. Vale mi.

Scies omitto Cõfirmationis locos latiùs extendere, ab Honesto, Vtili alijsq; locis argumenta ducere, in quarta præcedẽtis epistolæ regione, ne nimia prolixitate lectorem onerem: quemadmodũ enim ab illis argumentandũ sit: in subsequentibus quibusdam Epistolarum generibus paulò latiùs ostendetur præcipuè in Suasorio & Petitorio.

Aliud Exemplum.

SOlet & idem Cõmendatitium genus inter admodum familiares multò succinctiùs tractari omissa prima ac tertia parte, hoc vel simili modo: Cornelio summæ probitatis & eruditionis adolescente valdè vtor familiariter, & propter præcipuum erga me studium & amorem mirificè eum diligo. Is Louanium profecturus, cùm non habeat, cui sese in rebus dubijs tutò committat, teque ex alijs mei studiosissimum intelligat, rogauit me, vt ad te pro se quàm accuratissimè scriberem, quò vel nostra possit commendatione adiutos amiculorum tuorum catalogo adscribi, imò vt ad te non secus atq; parentẽ in rebus anxijs sine rubore possit accedere. Oro te itaq; vt si cubi tuo consilio vel auxilio indiguerit (id quod sine graui incommodo pro tua authoritate, prudentia & eruditione facilè poteris) ei sis adiumento & præsidio. Quod tibi quidem & laudem pariet & voluptatem, mihi verò

verò maiorem in modum gratum erit & acceptũ. Adoleſcentem quoque ipſum perpetuò tibi deuinxeris,& cum ſumma gratitudine beneficij memorem intellexeris. Vale.

Hoc poſterius exemplum propterea adijcere volui,vt pateat liquido, quod neque omnes, quæ præſcriptæ ſunt partes,neque idem partium ordo vbique obſeruandus ſit.

Epiſtola Suaſoria.

SEcundo loco,quod ferè inter omnes Deliberatiuas Epiſtolas dominatur,& locos Demõſtratiuos factorum & rerum plerunque admiſcet,genus Suaſorium ponamus. Nulla eſt enim alia Epiſtola, quæ manifeſtius in genere Deliberatiuo verſatur,quàm ea, qua amico rem quamlibet ſuademus aut diſſuademus. Cuius partes, etſi nõ omnes vbique,neceſſariæ ſunt quinque.

In prima vel à perſona eius,cui ſuademus,vel à noſtræ perſonæ officio, aut alia quauis ratione prius poſita ordiri licet,quãuis non ſemper Exordium neceſſarium ſit. 1

In ſecunda ponemus narrationem breuiuſculã cum ſeminibus argumentorum rei deliberandæ: cui ſecundum artificium prius poſitum, Propoſitionem ſubiungemus. 2

In tertia poſt diſtributionẽ, ſi oportuna videatur,rationibus & argumen[illegible] liberatiui depromptis, Propo[illegible] 3

4 In quarta, si qua Propositioni aut argumẽtis videbũtur contraria, per Confutationẽ destruemus.

5 In quinta, Epilogo præcipuorum argumentorum præmisso, affectus eius, ad quem scribimus, mouere studebimus. Non discrepabit siquidem (quod ad artificium attinet) Epistola Suasoria ab oratione rhetorica huius generis.

Exemplum Epistolæ Suasoriæ.

1 *Exordium.* QVanquam ipse citrà controuersiam abundè per te sapis, cõmilito iucundissime, non possum tamen (si veteri nostræ amicitiæ satisfacere velim, summisque in me tuis officijs gratus esse) quin ea quæ ad tuam cum dignitatem, tum salutẽ attinent, tibi [illegible] suggerã. Et cum aliena rectius interim, quam tua cõsideramus, non debeo tibi amico, cuius ego [illegible] nonnunquam saluberrimis consilijs adiutus sum, meum quale est subtrahere consilium. Nam

2 *Narratio.* nuncit mihi nudius tertiùs non sine dolore Theoderi frater tuus, quòd posthabitis bonarũ literarum studijs, rebus mechanicis te intricare decreueris, & nullo vel parentum monitu,

3 *Propositio.* vel amicorum rogatu, nullaq; probitatis, vtilitatis, conditionis tuæ, vel priorum expensorum habita ratione deduci posse à sententia. Tu tamen mi Hieronyme, si me audias, mentem istam mutabis, & seruilibus mechanicorum operibus derelictis, humanitatis seu bonarum literarum & liberalium artium studijs nunquam satis laudatis, & post virtutem

tutem rebus omnib. anteferendis, vt cœpisti, inhærebis. Ad quod te non modò parẽtum tuorũ, quibus ex diuino præcepto non parũ debes, imperiũ: aut amicorum & necessariorũ, quos temerè auersari non decet, preces & suadelæ, verùm multò maximè ipsa bonitatis & æquitatis ratio inducet, qua tibi nihil honestius, nihil vtilius, nihil iucundius fore ingenuis artibus ostẽsurus sum. Nam si honesti te ratio mouet, quæ profecto omnem probũ adolescentẽ mouere debet, quid quæso bonis literis & eruditione honestius, quæ diuinę cuiusdam originis multis retro seculis semper omnibus prudentibus in precio fuerunt? Quid ijs honestius, quę te à stupidis, barbaris (& si dici liceat) brutis hominibus secernẽt? sine quibus inter hominem, & pecudem vix vllum discrimen est. Quid ijs honestius, quæ te ad veri Dei contemplationem, cœlestium rerum cognitionem, & verarum virtutum ducunt amplexum, sine quibus, haud secus ac porcus quidam accarnanius, nulli rei magis homo quam ventri studet, terrenis incubat, & æternis neglectis, transitorijs inhiat? Et si voluptatem quæras, sic ea in re literaria honestati coniuncta est, vt nescias profectò an in literis plus honestatis, an iucunditatis inuenias. Quid enim per Deum immortalem suaui⁹, quàm perpetuò cum Musis versari, & earũ casto contubernio perfrui? Si verseris in agro, tecũ fabulantur: si intres domum, quiescis cum illis, nec poteris mœrore tabescere, qui in earum tripudio

3 *Confirmatio.*

Distributio.
Ab honesto.

A iucundo.

Ab vtili & necessario. perpetuũ captabis solatium. Neq; enim habet (vt quidam ait) amaritudinẽ conuersatio illarum, neq; tædium conuictus illarũ. Quod si fortè (vt subinde fieri solet) plus ea, quæ commodo sint, quam ea quæ vel honesta vel iucũda spectes, quid, obsecro literis & eruditione vtilius, ne dicam plus necessarium? sine quibus neq; virtus tibi cognita, neque probitas manifesta, neq; Philosophia inuestigabilis, neque diuina, neq; humana scriptura intelligibilis, & interpretabilis. Imò si literas è mundo funditùs eradicaueris, omnia simul diuina pariter & humana prorsus confuderis. Neq; respublica dignè administrabitur, neq; res familiaris debitè gubernabitur, neq; quod ante omnia dictum oportuit) res ecclesiastica eruditè do, cõsolãdo & arguẽdo promouebitur. Si diuitias queras (id quod tamẽ Christiano homini turpe iudicatur) quem vidisti vnquam doctissimorum inopia laborasse? Si τὸ τέχνον πᾶσα γαῖα τρέφει, illa, ne dubita, te maximè nutriet, qua plus cęteris commodare potes mortalibus, neq; id quidem absque laboribus tuis atquẽ sudoribus. Nam dicturus es fortassis hominem ab exordio suæ conditionis à Deo optimo maximo labori destinatum. In sudore (siquidem dicit) vultus tui vesceris pane tuo. Esto. An tamen putem te tã puerili ingenio, vt solis corporis sudoribus hominẽ destinatum intelligas? An non habet immensos labores, (quanquam citra tædium) hæc ipsa priusquam apprehẽdas scholastica eruditio? Neq;

Confutatio.

tum

tum quoque, cùm apprehenderis, secorditer tibi vacandum erit. Aut enim viam veritatis populum ignotum è suggesto docebis, aut rudem pueritiã & informem adolescentiam in schola erudies & formabis, aut in rebus dubijs anxios iuris prudentia & consilio iuuabis, aut ægrorum corporibus ipse sanus medeberis, & vt vnico verbo multa complectar, si defuerit eruditio, socordia, labor profecto non deerit. Itaque mi Hieronyme, quo tandem Epistolam claudam, prudensq; corporis tui teneritudinem, qua vel ad mediocrem laborẽ ineptus es, pręteream, cùm nihil sit, quod vel æquè honestet, vel æquè delectet, vel æquè commodet, ac bonæ literæ & bonarum artium eruditio, debes profecto non tã meo consilio, quã veritatis impulsu, ab inconsulto & insulso tuo proposito resilire, & per bonas literas pro ingenij tui dexteritate, qua quicquid etiam voles, facillimè apprehendes, ad reliquas pergere artes & disciplinas. Moueat te patris desiderium, matris lachrymæ, proximorum, affinium, & omnium amicorum affectuosa (si dici liceat) deprecatio. Certè non potes pro ingenita tibi probitate nobis omnibus neglectis (ne dicam contemptis) tergiuersari. Vale, & vt soles, nos ama.

Hæc aliquã diò prolixus prosecutus sum, vt quisque studiosorum in genere deliberatiuo vsum locorum nõ secus in Epistolis ac oratione rhetorica considerare queat, & nihilominus videat, quàm

sibi generis huius loci & Demonstratiui rerum cõueniant, si vtriusq; generis inter se paradeigmata conferat. Nam literarum studiũ, quod in hoc deliberatiuo suasi, in superiori Demonstratiuo laudaui. Sciat tamen multò correctiorem de eodem argumento scribi posse epistolam, omissis videlicet prima & quarta parte, tertiæ quoque partis nonnullis locis. Neq; enim in familiaribus maximè Epistolis omnes partes neque in omni argumento omnes loci sunt necessarij.

Porrò in dissuasoria Epistola totidem quidem partibus, sed locis contrarijs vtendum est: vt ab inhonesto, inutili, difficili, &c. vt in sequenti breui paradeigmate ostendetur.

Paradeigma Epistolæ Dissuasoriæ.

1 *Narratio est Prop.* Aiunt te frater neglectis literis, operis textrinæ operam dare, & neq; parentum, neque amicorum prudentum consilio à cœpto recedere. Porro si me, cui semper plurimum tribuere soles, audias, ab hac stultitia & manus & mentem auertes.

2 *Ab inhonesto.* Quis te tandem eò dementiæ perduxit, vt rem neque honestam, neque iucundam, neque commodam aut vtilem diligeres? Inter omnia siquidem ciuilia artificia hoc vnum longè viliſſimum & sordidissimum iudicatur. In precio sunt fabri lignarij, item cementarij, calceolarij, agricolæ, sartores, & id genus alij artifices, verum textores contemnuntur ab omnibus, ridentur ab omnibus, exibilan-

exibilantur ab omnibus vsq; adeò, vt nonnũquam è republica tanquam sordidũ & inutile genus hominum explodãtur. Desidebis pręterea tanquam nulli⁹ precij sedẽtarius totis diebus, quasi in conclaui & pistrino retrusus, absque rerum varietate, absq; hominum frequentia, absq; externarum rerum solatio, mœrore & squallore confectus, vix duro & mucido pane refectus. Et cum toto corpore fatigato sub ipsam profundam noctem opus remiseris, vix tantum corrades lucelli & emolumenti, quantum corporis tui alimento sufficiat. Interim alenda est vxor, alendi liberi. Dispeream, si non intra quinquennium (nisi fortassis furto, de quo plerunq; solet hoc hominum genus suspectũ esse quæstũ auxeris) ad extremam redigaris inopiam, inediaque tabescens, miserè vitam finias. Quapropter si meo cõsilio acquiescas (frater) hanc sordidam & illiberalem, hanc inutilem & incommodam textoriam, & fulloniam auersaberis, etsi non bonarum literarum studijs, saltem alij te quęstui & honesto operi applicabis, quibus non modò tibi, sed & liberis tuis consulas. Vale.

3 *Ab incom- & inutili.*

4 *Epilogus.*

De Epistola Exhortatoria.

EXhortatoriũ genus epistolarũ, simul & Monitorium proximũ Suasorio locum sibi vendicat, quo non suadendo (vt suprà) in rebus ambiguis amico consulimus, sed vel incertis ad alacritatem incitamus, vel errantem inducimus. Aliud

siquidem suadere, aliud hortari est. Hoc Epistolarum genus etsi non secus, atq; Suasorium quinq; partibus constat, in tertia tamen (quia non tam argumentis, quàm affectibus agitur) his sequentibus locis proponendis affectibus vtendum est.

A laude Personæ exhortandæ vel mouendæ.
A laude Rei, ad quã fit exhortatio vel monitio.
A spe præmiorum de re absoluta.
A metu incommodorum, si res non sortiatur fœlicem exitum.
Ab amore, commiseratione, & expectatione necessariorum.
Ab odio, æmulatione, & expectatione aduersariorum.
Ab exemplis vetustis, alienis, & domesticis.
Ab obtestatione, quę in Epilogo seu in quinta parte per hos locos fieri non potest.

Ex quibus, etsi non omnes, præcipui tamen pro mouendis in exhortatione eius, ad quem scribitur, affectibus, assumendi sunt: quibus nihilominus in genere Deliberatorio adhibito iudicio vti valebimus, & pari ratione Increpatorio.

Paradeigma seu Exemplum.

1 Exordium. QVòd bonarum literarum studia denuò arripueris, non possum tibi non gratulari, iucundissime Hieronyme, maximè quòd nostris literis nostroque consilio plus, quàm parentum & amicorum tuorum conatibus tribuisse videris. Aiunt

te

te siquidem relicta agricultura ad Idus Februarias rursus ingenij excolendi gratia Louanium concessisse, tametsi ægriori animo, quàm nonnulli velint. Colligunt enim ex hac animi tui ægritudine nascituram tibi socordiam, & bonarum literarum studia ad lætam frugem non peruentura. Quod licet mihi nemo facilè persuadeat, qui sciam te semper magis freno, quam calcaribus indiguisse, tamen pro veteri nostra imò hactenus non interrupta amicitia non possum, quin ad eadem te literarum studia cohortari satagam. Absit, absit, mi Hieronyme, vt prioribus illis incomparabilibus rei literariæ exercitijs posteriora non respondeant. Tantus natalium tuorum splendor, tam proba educata infantia & pueritia, tantum ingenij acumen, aliò te, quàm ad socordiam vocant. Extimulent te quæso spes præmiorum ampliſſimæ, honores, diuitiæ, voluptates, rerum omnium diuinarum humanarumque cognitio, & (si plus cupias) nominis immortalis gloria, quibus semel omnibus te frustrari continget, si ad metam destinatam non peruenias, & ignominia, inopia, infelicitate, rerum omnium ignorantia & dedecore afficieris. Moueat te parentum amor, proximorum affectus, amicorum & affinium charitas, quos vna non solum immensis doloribus, & irremediabilibus, adeóq; miserandis lachrymis affici, verumetiam magnarum de te rerum expectatione frustrari continget, si in medio (quod aiunt)

2 *Narratio cum Propo.*

3 *Laus perſonæ.*

Spes præmiorum, & metus.

Amor.

cursu defeceris. Scis enim omnium in te nõ modo cognatorum, sed etiam ciuium tuorũ oculos coniectos, & animos suspensos, nec nisi eximiũ quiddam sibi & patriæ de tua eruditione pollicentur, gloriosumq; de aduersarijs tuis triumphũ expectant. Et cõtrà, quis tibi plenè suggerat inuidentiũ æmulationẽ, qua te anteuertere nituntur, & odium, quo te ante finẽ destinatũ sperant defecturũ? Quos si de te (quod omen Deus auertat) triumphare contigerit, quanta illis tanquam de rapta præda exultatio? quanta nobis insultatio? quanta illis gloria? quanta nobis ignominia? Et ego equidẽ, & tui omnes patebimus vulgi ludibrio & sempiterno opprobrio. Possem tibi exempla veterum proponere, qui nullum subterfugêre laborem, nullam irrisionẽ, nullã vel duram seruitutẽ, qui Philosophiam apprehenderent, si non recẽtia, imò si non domestica in promptu sint, & ad animum tuum extimulandum accommodatissima. An non auus tuus, an non auunculus tuus (vt reliquos sileam) relicta patria, relictis rebus priuatis, omnem Franciam, omnem Italiam, omnem Græciam non sine magnis incommodis peragrantes, post magnam eruditionem immortale sibi nomen adepti sunt? & cùm ipsi primum rerum inopes essent, tibi & posteris diuitias & gloriam sua eruditione pepererunt? Magnum si fortè causeris laborem, præmium opponam immortale. Certè (vt quidam ait) spes præmij minuit vim flagelli. Nec tamen tam ignauum

Odium.

Ab exemplis.

4

Confutatio.

ignauum te cerno, vt parui incõmodi, quod subinde obeundum est, horrore frangaris, qui maximas hactenus ærumnas fortissimè pertuleris, sed ante adeptam victoriam non possum non timere etiam tutissima. Oro te igitur, mi Hieronyme, & obtestor per natalium tuorum splendorem, per eximiam tuam indolem, per parentum & amicorum amorem, & omnium nostrûm amplissimam de te expectationem, ne quo subrepentè veterno fractus in stadio deficias, neque fatigeris, donec propositi certaminis βραβεῖον accipias. Vale. 5 Epilogus.

In monitoria quoque Epistola siue amicum de vitio castigamus, siue quid agendum sit acriter admonemus, eadem ferè procedendi ratione vtimur, & affectibus mouẽdis vt plurimum studemus. Amant autem huiusmodi epistolarum genera acrẽ & concitatam dicendi rationem, maximè sicubi affectibus mouẽdis insistimus, id quod non minus quoque in rationibus obseruandum est.

De Epistola petitoria.

PEtitoriæ Epistolæ, qua ab amico aliquid postulamus, creberrimus vsus est: quapropter eius componendæ artificio summopere studendũ est. Partes eius sunt quinque.

In prima captatur, si necesse vel oportunum sit beneuolentia: secundum artificium generis Demonstratiui. 1

2 In secunda, post Narrationem proponendũ est simpliciter quòd petitur.

3 In tertia, Petitionem ipsam Possibilem, Honestam, & Iustam declarabimus. Hæc enim præcipuè (teste Seruio) in petitione ostendenda sunt, vna cũ gratias agendi modo, & renumeratione.

4 In quarto Modum præstandi, (si argumentum postulet) præscribemus.

5 In quinta, Gratitudinem & Remunerationem addemus. In deprecationibus quoq; pœnarum hæ partes locum habẽt, nisi quòd Loci Status assumpti non parum cum his commune habent: de quo in genere Iudiciali dicemus.

Paradeigma.

1 *Captatur benevolẽtia.* EXpertus non rarò clementiam & benignitatẽ tuam, pater optime, mea quoque erga te pietate & in bonis literis tibi non ingrata diligentia fretus, paucula abs te petiturus aduenio, quæ pro tuo in me paterno affectu te mihi non negaturum

2 *Narratio cum Prop.* confido. Traiecti adolescens quidam literis valedicturus, libros quosdã tum Græcos, tũ Latinos, Homeri videlicet & Virgilij, cum optimis cõmentarijs, opera, paruo admodũ (vtpote pecuniarum indigus) venundare cupit. Et cum iam iamque eosdem mihi non solum vtiles, verumetiam multum

3 necessarios fore cõfiderem oro paternitatem tuã, vt ad coemptionem eorũdẽ sex aureos Carolinos ad me mittas. Id quod tibi non modò possibile, nempe

nempe, qui (laus superis) sexcentos, si res postularet, absq; magno rerum tuarum dispendio mittere posses, verumetiam honestum, æquum & laudabile erit, & vtrique nostrum vtilissimum. Quis enim non laudet parentis pro filij honestissimis literarum studijs iusta & liberalia impendia? si in rebus liberorum ludicris laudatur nonnunquam patris largitas & liberalitas, quanto magis in seriis & necessarijs? Commodabis præterea plurimum meis studijs quæ nouisti sine libris proficere non posse. Cõmodabis non minus tibi ipsi, qui duplo pluris, si noui essent eosdem redimeres. Vt interim fileam quod cùm incredibili me primum voluptate affeceris, etiam ipse non parùm in filio oblectaberis, & qnod arctiori me tibi amore deuinxeris, & acrioribus literarum studijs obligaueris. Et ne sollicitus sis, cui propter tabellariorum fraudem & infidelitatem pecuniam tutò committas, si (vti confido) te precibus in meam sententiam perduxerim, numerabis eam præceptori meo illuc propediem profecturo transferendam, qui & hæc eadem tibi pro me suis verbis exponet, & quicquid dederis in vsum meum, plena fide suscipiet & transferet. Cùm igitur, mi pater, nihil esse putem, quod sobriè huic petitioni meæ tanquam improbæ, importunæ, aut vanæ obijcias, te etiam atque etiam oro, ne frustreris me spe mea, sed paternum in me animũ & affectum deuuò me sinas experiri Quod ad me attinet, inuenies me in re literaria

Honestum

Ab vtili & iucundo

4

5

solito alacriorem, in rerum vsu corporalium moderationem, & ad omnia, quæ volueris vsq; paratissimum. Vale.

De Epistola Consolatoria.

COnsolatoria Epistola est, qua amicum in rebus aduersis contristatum consolamur. Partes sunt quinque.

1 In prima, beneuolentiam captamus, aut per insinuationem à prudentia consolandi, aut ab officio nostro, &c.

2 In secunda, narramus breuiter infortunium eius, & proponimus non dolendum, aut non vsque adeò dolendum, &c.

3 In tertio, pro diuersa desolati aut doloris conditione aut procedimus secundū locos deliberatiuos, probantes neq; satis honestum, neq; satis piū, neq; satis iustum, neq; vtilē esse dolorem, &c. aut secundum locos præscriptos in exhortationibus studemus vel blandiendo, vel increpando mouendis affectibus, aut alijs argumentis ex philosophia seu scriptura sacra depromptis vtimur, &c.

4.5 In quarta, Confutamus. Quinta nota est.

Exemplum seu Paradeigma.

Exordium. SI homini, præsertim Christiano præcipitur gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, alterūq; alterius onera portare, improbus sim profectò & amici nomine prorsus indignus, si amico do-

dolenti non condoleam : nihilominus, si vulneri quouis modo mederi possim medicamentum subtraham. Quanquam non dubito pro tua eruditione, prudentia mentisq; constantia plus animo te vigere, quàm corpore doleas, certoq; noui te longè melius tibi mederi posse siue cõsulere, malo tamen abs te ob inscitiam rideri, quàm vel ignauiæ, vel ἀσωγίας insimulari, præsertim quod subinde non minus lenire volentis, ac medentis manus admittatur. Vulgo ferunt patrem tuum senem prouectæq; ætatis virum optimum mente integra, omnibus ecclesiasticis munitum sacramentis, inter librorum manus diem clausisse extremum, omnibusq; huius vitæ ærumnis ereptum ad requiem æternam cõmigrasse. Et cùm cæteri moderatiùs id ferant, te vnum post mensurum luctũ, neglecta re familiari, neglectis Musis, neglectis omnibus, nullam omnino consolationem admittere. Reuera cũ in cæteris omnibus (mi cognate) te facilè superes, in hac vna te parte negligere videris. Non enim mi frater, (quandoquidẽ communiter mecum Deum patrẽ appellaris) non est inquam hęc tua secundũ Deum tristitia, quæ salutem, verùm seculi, quæ mortem operatur, vt Paulus in Corinthijs rectè distinxit. Et idcirco si mihi, imò scripturæ rationibus auscultes, ipsam tametsi non penitus tollas, paululũ mitigabis. An non Christianus es? An non cõmuni spe resurrectionis nobiscum viuis? Quid ergo non succurrit tibi eiusdem Pauli sententia? Nolo vos

Insinuatio.

2

Narratio.

Propositio.

ignorare de dormiẽtib. vt non contriſtemini, ſicut cæteri qui ſpem non habent, & reliqua, quibus reſurrecturorũ ordinem præſcribit. Quid? non ſuccurrit tibi ſapientum omnium facilè princeps poſt Solomonem filius Sirac? Modicum, inquiens, plora ſuper mortuũ quoniam requieuit. Etſi quidẽ naturam exuere non potes, mente tamen & ſpiritu eius impetus temperandus eſt. Dicis parentẽ optimum te amiſiſſe, at tantò minus tibi dolendũ eſt. Nam ſi tuus in facinoroſis actibus vitã finiſſet, poſteríſue ſtultitiæ & veſaniæ ſuæ veſtigia reliquiſſet, habeas fortaſſis quod luctus vehementiores prætexas: iam nihil eſt quod excuſes, vt non & hoc merito reprehendam, quod amiſiſſe dicis, quem in Chriſto viuere credis, quem reſurrecturum ſperas, quem conſortem glorię futurum non ambigis. An prudens agricola id frumenti, quod ſeminat, quod occat, quod ſarrit periſſe arbitratur, quod ad vberes fructus reuicturum non dubitat? Certè nec caro viuificatur, niſi priùs moriatur. Seminatur in corruptione, reſurget in gloria, Dic mihi qui tantoperè plangis mortuũ ſenẽ, quid eſt, quod te mouet ad lachrymas? An quod mortuus eſt? An non in hoc natus eſt, vt tandem moreretur? An nõ iã nati ſtatim deſinimus eſſe? Cur igitur non plorabas, cùm primùm noſſe eũ cœpiſti? At iã oculis mihi ſubtractus eſt, inquies. An non perpetuos decem annos procul à patre, procul à patria, in diuerſis academijs mecũ verſatus es? Quin tũ plorabas oculis

oculis subtractũ? Fortè denuò visurum sperabas. Esto,nónne & nunc eundem non decrepitum,non morosum,non veternosum:sed alacrem,lætum,& immortalem in gloria visurum te speras? Tangat te cõmunis mortalitas,& desine cum fato seu potius cũ natura & Deo pugnare. Moueat te honestatis ratio,& considera quàm turpe sit homini docto & prudenti eum immoderatius lugere, quem reuocare non potes,quin & si possis ipse non cupias. Si qua pietate moueris in parentẽ vel lachrymis indicare videris,aut doles ex ærumna transisse ad requiem,aut certè ex requie ad ærumnã redire desideras. An nõ vtrũq; à pietate lõgè alienũ? Nónne pietatem ad impietatẽ cõuertis? Deniq; patri non cõmodas,tibi incõmodas,coniugi,liberis,& omnibus qui te amãt molestus es, omnesq; mœroribus afficis. Tibi à fletu cessandum est, si nos omnes lachrymis,quibus te iustius,quàm tu parentẽ, plangimus,moderari desideras. A modo ne sinas nos quæso maleuolorum exponi ludibrio, qui tuas lachrymas tanquã muliebriter profusas rident. Vale mi cognate,& si qua tibi est æternæ fœlicitatis expectatio,si quis mentis vsus,si qua honestatis,pietatis,& vtilitatis ratio,quæ tamen omnia in te summa nõ ambigo, longius pelle abs te hãc immoderatam tristitiam,quæ non solùm corporis, verumetiam mentis robur attenuat. Iterum vale, & fac sentiam tibi exhortationem meam vel modicum cõtuliſſe, luctuiq; tuo modum quendam addidiſſe

Honestum.

Consolatio.

Videre licet in hoc paradeigmate, quod non parum Consolatoria epistola cum Exhortatoria aut Monitoria conueniat, adeoq; non admodũ dispari artificio gaudeat, & concitatũ dicendi genus, quod per cõmata potissimùm fieri consueuit, desideret.

De Epistola Conciliatoria.

EPistola conciliatoria, qua nobis amicitiam ãlterius conciliamus, continebit tres partes.

1 In prima virtutes & dotes eius ad quem scribimus, quibus nos in sui amorem, & ad ambiẽdam eius amicitiam prouocauit quantam fieri potest, citra adulationem enarrabimus.

2 In secunda, amicorum eius catalogo ascribi verecundè & modestè postulabimus.

3 In tertia, si quid fit, quod illum ad amandum nos prouocare possit, citra arrogantiam modestissimè exponentes, omnem nostram operam, integritatem, & fidem offeremus.

Exemplum seu Paradeigma.

NEscio vir ornatissime, quo pacto nõnulli virtute, ingenio, & doctrina excellentes quosdã vsque adeò in amorem sui & admirationẽ rapiant vt non sinãt eos quiescere, donec sese (quantalibet locorum intercapedine separati sint) illis aliquatenus adiungant. Oblatæ sunt mihi lucubrationes tuæ, legi carmina tua, & (citra assentationem dictum existima) nihil nostræ tempestatis mihi contigit

tigit videre doctius, nihil venustius. Audiui mansuetudinem tuam, modestiam, comitatem, candorem, reliquas animi tui pulcherrimas dotes & ingenij ornamenta & meherculè non possum, quin vltrò me tametsi impudentius, ingeram. Oro te igitur, vt me quoq; (licet inutilem amatorem, licet ignarum, licet incognitum) amicorum tuorum albo adnotare digneris, vt istic habeam te vel vnũ, qui cum familiariter subinde & iucundè disputẽ. Non ausim tibi promittere in me plurimam eruditionem, cumulum virtutum, & amplas ingenij mei dotes, quas nec ipse profectò in me deprehendo, verùm sincerum amorem, fidem integram, & mutuam beneuolentiam fidenter offero, habebis me siquidem tui semper absque simulatione amantissimum, cui tutò omnia commitas, & qui tibi non secus, ac sibi commodare studebit. Vale vir ornatissime, & te (honestè dici possit) perditè amantem redama. Vale ex Traiecto, 16. Kalendas Augusti. Anno. 1543. 2

Tertia quoque pars huius generis non inscitè potest secundum occupare locum, vt secunda, sit vltima, quemadmodum quisq; studiosorum citra præceptum & absque paradeigmata facilè aduertit. Studemus enim, sicubi possumus, breuitati.

Possent & alia quędam Epistolarum genera sub genere Deliberatiuo comprehensa subnecti, verũ cùm videantur manifestè ad præcedentia reduci posse, breuitati studẽtes, ad ea, quæ sub genere Iu- 3

diciali militant, transeamus.

De genere iudiciali & statibus eius.

GEnus iudiciale, quo accusamus aut defendimus & quod rhetoribus coram iudicibus olim tractari consueuit, hic paulò fusius explicandũ est quàm suprà monuimus. Huius enim describunt rhetores status tres: Coniecturalem videlicet, Iuridicialem, & Legitimum, sine quorum discretione & dijudicio nihil certi de locis huius generis prescribere possumus. Singulorum enim statuum proprij sunt loci. Tametsi enim in duobus suprapositis causarum generibus singula themata, ab oratore tractanda propriũ suum statum, id est, certum aliquem scopũ habent, in locis tamen assignãdis ferè nulla est diuersitas: hic autem scias in quo statu tractandum sit thema, siue orationẽ habeas, siue epistolam scribas, quibus locis vtaris.

Est autem status (ne imprudẽs omisisse videar) caput causæ seu quæstionis summarium & generale, ad quod orator omnia confert argumenta, & auditores præcipuè spectant. Nascitur autem ex triplici quæstione, videlicet, an sit factum quod alicui obijcitur, quale sit, & quid, vt patebit.

De statu coniecturali, & locis eius.

STatus coniecturalis, quem & inficialem dicunt, nascitur ex quæstione: An sit. In eo siquidẽ coniecturis seu temerarijs (vt Græci dicunt) agitur,

an

anis, de quo suspicio est, scelus admiserit

Huius status 2. sunt loci generales,
- Voluntas, qua voluisse verisimiliter ostenditur.
- Facultas, qua commodè potuit.

Voluntas rei inuestigatur,
- A qualitate personæ accusati, videlicet à Natione, Patria, Natalibus, Ingenio, Moribus, Studio, & cæteris personarum circumstantijs, de quibus in Dialecticis nostris lib. 5.

Hi pariter Accusanti: & Defendēti conueniunt in Confirmatione.
- A causa, qua facinus susceperit, vt si affectu iræ, odij, vel auaritiæ impulsus, aut spe cōmodorum, vel timore incommodorum inductus ostendatur.

Facultas inuestigatur.
- Ex viribus, Auxilijs, Instrumentis, Loco, Tempore, & cæteris rerum circumstantijs, de quibus item in Dialecticis nostris.
- Ex signis tum antecedentibus, hoc est, per verba aut facta, quæ facinus præcesserunt, tum Cōsequentibus, quę facinus secuta sunt.

Quoniam autem Signa, si manifesta sint, maximè verisimilitudinem prætendunt, adduntur, Defendenti præter prædictos, quos cum Accusante con-

munes habet alij duo loci ſequentes, quibus ſigna dilui ſeu refelli poſſunt.

Loci 2. Defenſoris tantum, ſcilicet,
- Abſolutio, qua docet ſignũ bono animo accidere potuiſſe, aut citra dolum malum.
- Inuerſio, qua docet ſignum non contra, ſed pro reo adduci. Addunt Inficiationem.

Cæterùm (ne quis id imprudenter omiſſum cauſetur) non modò in hoc ſtatu Coniecturali, verum etiam in duobus ſequentibus tot partes orationis ſunt, quot in ſuperioribus duobus generibus: nẽpe, Exordium, Narratio cum Propoſitione: Breuibus ſiquidem exponemus factum, de quo eſt controuerſia, & ſtatum ex narratione elicitũ proponemus. Confirmatio, quæ in hoc ſtatu præcedentibus locis, Confutatio quæ conſtat, & peroratio ſeu Epilogus, mouens ad affectum vel iræ, vel clementiæ, &c. ipſos iudices.

De ſtatu iuridiciali.

STatus Iuridicialis, Qui & qualitatis & Negocialis dicitur, eſt, cùm iam non coniecturis agitur, quia de facto conſtat, ſed an iure an iniuria factum ſit, diſceptatur. Naſcitur enim hic ſtatus

ex

ex quæstione(vt dictum est)quale sit. Partes orationis sunt eædem cum superioribus. Loci autem Confirmationis diuersi sunt, prout hic status duplex est. Nam alius est absolutus, quo simpliciter aliquid defendimus: alius est Assumptiuus, cũ rebus extraneis non tam ad defendendum, quàm ad excusandum vel mitigandum vtimur, quòd causa per se inualida est, nec defensionem admittit.

Loci status Absoluti sũt sex aut septem,
- Natura, hoc est, ius naturale.
- Lex, id est, ius scriptum.
- Consuetudo patriæ, si bona sit & probata.
- Aequum & bonum siue ἐπιείκεια, qua pro sanæ mentis iudicio quod æquum & decens est iudicamus.
- Pactum cum aduersario.
- Iudicatum, vel simile à iudice pronunciatum.

Loci status Assũptiui sunt tres, vid. criminis,
- Translatio, cũ reus dicit indignitate & turpitudine alicuius facti se ductum ad crimen.
- Remotio, cùm in alios reijcit, qui iusserunt, suaserunt, fefellerunt, &c.
- Concessio, quæ cõtinet Purgationem, & deprecationem pœnæ.

Purgatio est, dum fatetur se quidem peccasse, verùm non studio, sed per imprudentiam aut casum. Deprecatio autem est, qua implorat misericordiam iudicis præsertim dum alij loci non suffragantur, per laudes, per ostentationes, per exempla, &c.

Addunt nonnulli Cõparationem, qua ex duobus malis & alterutro fieri necessario, id admisisse nos dicimus, quod tollerabilius iudicauimus.

De statu Legitimo, seu Legitima constitutione.

STatus Legitimus seu legitima constitutio, qui & Definitiuus dicitur, ex quæstione nascitur, Quid sit: cum videlicet generali propositione statuimus, quid velimus: aut iudicemus de facto.

Spectat autem maximè ad scholas & doctorũ disputationes, & in Epistolas præsertim familiares rarenter incidit. Tractatur autem præcipuè locis Dialecticis in Confirmatione.

Definitio, qua definito vocabulo res controuersa cum ea conuenire vel non conuenire ostenditur, per genus, differentiam, causas, effecta, &c.

Αντινομία, id est, Contrarietas legum, qua pro ratione facti accusandi vel defendendi alteram inter-

interpretabimur, vel abrogatam docebimus, & alteram seruabimus.

Scriptum & sententia, hoc statu obscuriorem scripturæ sacræ vel profanæ locum interpretamur, ne διάνοια, hoc est, sententiæ contrarius videatur.

Huius status Legitimi 6. sunt partes.

Ambiguum, in hoc vocem alicuius legis aut Scripturę ambiguę significationis: secundum alios scripturæ aut legum locos cõgruè interpretamur.

Ratiocinatio, qua casus nulla lege determinatus ad similem lege cautum refertur, & secundum eum determinatur, aut iudicatur.

Translatio, cùm reus vtitur exceptione, ostendens se non debere vel ab hoc actore, vel coram hoc in die, vel hoc tempore, vel hoc loco, vel hac lege accusari.

In hoc quoque statu partes orationis totidem, quot in superioribus numerãtur, Exordium, Narratio, &c.

Hæc paucis de generis Iudicialis statibus & eorum locis perstrinximus, nunc ad aliquot Epistolica exempla transeamus.

De Epistola criminatoria, seu accusatoria, in statu Coniecturali.

OCcurrit meritò primo loco sub hoc genere causarum Iudiciali Epistola Criminatoria vel Accusatoria in statu cõiecturali, qua aliquem coram amico vel inimico accusamus, & his partibus forma, & ordine constituitur.

1 Primum, ordiri licet à conquestione, vel exclamatione, qua nostrum exaggeramus dolorem, aut criminis atrocitatem.

2 Secundum, rem ipsam verisimiliter narrabimus breuiter argumentorum semina admiscentes, aliquem tandẽ criminis autorem verisimiliter proponentes.

3 Tertium, probabilibus argumẽtis rem docebimus, prædictis coniecturarum locis vtentes.

4 Quartum, malorum quodam Epilogo aduersarium obruemus, hortantes amicum, vt vel sibi ab illo caueat, vel in illum animaduertat, vel nostræ calamitati quouis modo subueniat.

Paradeigma in statu coniecturali.

NEscio quibus tibi verbis, amice integerrime, infœlicitatẽ meam ex æquo deplorem. Tanta me semel diuersarum rerum oppressit calamitas, vt cogar tibi (tametsi non libenter faciam) Cornelium illum criminis insimulare, quẽ mihi quondam tantopere studuisti commendare, vt tua consolatione

solatione suffultus, in ipso infortunio non prorsus animum despõdeam. Audi Tragœdiam. In capite huius sacratissimæ quadragesimæ, cùm post curatum (vt fieri solet in Carniualibus) aliquanto lautiùs & liberiùs cutem, tota ferè familia sub intempestę noctis silentio somno oppressa foret, ego (vt suspicor) ob turbam experrectus præuiã, strepitũ audio tum foris, tũ in Cornelij tui cubiculo. Verũ nil mali suspicat° rursus obdormisco. Quid multa? Cum hora matutina acriùs me pungeret mali suspicio, ocyus ad officinam secedo argentariam quã proh dolor euersam & compilatã rursus inuenio, argentum, aurum, gemmasq; precios issimas, & vasa tum aurea, tũ argentea non pauca simul asportata. Curro furibũdus haud secus ac vrsa raptis catulis ad Cornelij cubiculũ, & deprehẽdo eum tãquã omnino facinoris ignarũ quietè dormientem. Miror, hæsito, conuoco familiam cum coniuge, & vicinos omnes, nec prẹter nocturnos quosdã strepitus, & mussitationes aliquid certi. Interrogatus denique seriò Cornelius ipse rubore pariter & lachrymis suffusus, multa deuotione & obtestatione iurauit se prorsus omnium rerum esse ignarum. Insuper & post hanc rerum turbam collectis sarcinis palam omnibus (quod vetare nec vellem nec possem) Louanio valedixit. Et ecce post tertiam dierum hebdomadam, quidam Lutetia rediens indicat insperato eundẽ adolescentẽ cum puella quadam illuc adueniisse, & rebus omnibus

abundare. Quid colligã ex omnib. his mi Georgi, nisi ipsum Cornelium, cuius tu indolẽ, eruditionem & mores tantis præconijs extulisti, quẽ & ego tuo nomine non secus, ac filiũ in ædes meas excepi (citra obiurgationẽ intelligas quæso, & absq; stomacho prolatum) huius furti (si non simul omnes me fallunt coniecturæ) authorem esse, qui & me, & cũ coniuge liberos, totamq; familiam euertit, perdidit, extinxit? Mentior si non & ipsa facies, quantumlibet innocentiam præ se ferat & probitatem, fixiùs cõsideranti furacitatem indicet, si non crebra mẽdacia probẽt, si non alia munuscula interim sublata testentur? vt interim nihil de natalib. eius, quos tu tantopere commendasti, dicã. Promittebat sibi, ni fallor, ex his meis si conuersare posset bonis & fugere, longam felicitatẽ, qui domi meę hactenus, quod parentes tenuis essent fortunæ, admodũ tenuiter alitus est, & alia fortassis tum cõmoda tum voluptates, ad quę ea solet ætas magis esse propẽsa. Adiuuit eum tẽpus nocturnũ, locus ad eijciendũ opportun⁹, somnus post pocula profundior, & meritricula (quod facile colligimus) foris quælibet transmissa suspiciẽs. Quid quod in ipsis etiam Bacchanalibus cum eadẽ versatus, secreta nescio quæ tractasse visus est, & felicio em se breui conditionẽ (nempe ex felicitate mea) habiturum testatus est? vt hoc interim sileam, quam diligẽter subinde claues meas intuitus sit, quam valida clausstra, quãm operosos crassosq; clathros miratus sit? Si non

3 *Qualitas personæ.*

Causa indecens.

Facultas ex circumstantijs.

Ex signis.

non is author furti, vnde illi tam ſubitanea opulẽtia? vnde cultus corporis? vnde veſtitus ſplẽdidus? vnde omnia noua? Etiam ſi ipſam fortunam (quod aiũt) captiuam abduxiſſet, nõ potuiſſet hęc omnia ſubitò ſimul corradere. Videat nunc quiſq; an ne ſit aliquid hoc furto, immò non furto, ſed latrocinio attrocius, aut mea infelicitate infelicius? Fidem violauit, pro ſummis beneficijs ſummam iniuriam reddidit, ſe traduxit, te pudefecit, me perdidit, & cum coniuge liberos mendicitati adegit. Hæc ſcribere volui amice integerrime, non vt te incuſem, aut improperio afficiam, ſed vt fratrẽ meum moneã, ne ſi denuò ad te redeat, te denuò decipiat, & ſi abſq; tuo fieri queat incõmodo, ad reſtitutionẽ compellas. Neq; enim induci poſſum, vt credam, poſt tot & tam manifeſtas coniecturas & ſigna alium huius furti auctorem, quam dictum Cornelium ſuſpiceris. Interim tu cura pro ſolita tua beneuolentia, vt me literarum tuarum ſolatio refocilles, ne prorſus animum labefactatũ deſpondeam, aut ipſa calamitate oppreſſus deficiam.

De Epiſtola Defenſoria in ſtatu coniecturali.

Epiſtola Defenſoria in ſtatu coniecturali hoc pacto ſcribenda eſt.

Primùm vel à noſtro officio, vel à perſona defendendi exordiemur: vt à commiſeratione, citra proprium incommodum, &c.

2 Secundo loco, crimen insimulatum verisimiliter abnegamus.

3 Tertio probabilibus argumentis secundum locos coniecturales, reum, hoc est accusatum, insontem declarabimus.

4 Quarto signa & circumstantias quæ maximè contraria videri possint, per locos defensoris confutabimus.

5 Quinto, studebimus ex præcipuis, quibus vsi sumus argumentis, amicum (modò amicus sit) in nostram sententiam perducere: aut nimirum cum obiurgatione cogere. Si res quoque postulet, affectum iniuria consolabimur.

Exemplum seu Paradeigma.

1 *Exordium.* SI eruendo prę cipit scriptura insontes quoslibet qui ducuntur ad mortem, & vetat cæcũ errare facere in itinere, debeo profectò amicum, imò filiũ meum quem tibi pridem tantopere commẽdaui, & excusare & defendere, te quoq; mi Chrysogone

2 iniquæ suspitionis errore liberare. Scribis officinã tuam argentariã prorsus expilatam, te quoq; omnibus sublatis ad extremam redactum infœlicitatẽ. Doleo mehercule tuũ tam graue infortuniũ, neq; me secus, ac proprium sit ipsum, mentem meã discruciat. Verùm quod Cornelium huius furti & temerè & falsò insimulaueris, tam euidentibus (vt animo confido) rationibus & argumentis docebo, etiã si coneris obuiare non possis. Silebo parentũ

eius

eius & omnium natalium, tametsi fortunæ tenuis, probam tamen & semper integram conuersationem. Silebo adolescentis apud nos vsq; etiam inculpatos & incorruptos mores. Silebo deniq; eius etiam (vt audio) apud vos crebras vigilias, sobrium victū, & perpetua bonarum literarum studia, quæ sola quibusdā fortè videantur obiecti crimino purgando posse sufficere. Atqui miror rerum prudentem & aliquando non frigidè ἐν τῇ φυσιογνωμονία versatum, ex facie eius seu corporis dispositione facinoris coniecturam sumpsisse, cum frons lata, oculi demissi, palpebræ non nisi liberalitatē, nisi pudicitiam, nisi simplicitatē præ se ferant: verum id tibi vt homini δεινοπαθεῖ etiam vltrò cōcedere debeo. Veniam ad ratiocinationē qua cōijciebas eum fortassis spe magna cōmodorum ad crimen inductum quibus videlicet & suæ inopiæ subueniret, & suæ voluptati satisfaceret. Certè negare non possum improbos vel modico quæstus respectu illici posse ad facinus, verum ne quidem θάσσος ἀγαθῶν atq; σωφρὸς ἀγαθῶν probum, adolescentem probis prognatum, probè enutritum, cum probis versatum ad peccādum inducat. Nec procedit, quod inopiam causaris, cum per me largius ei suppeditatum sit (quod ad victum necessarium & vestitum attinet) quàm ipse vel cupiuerit vel vti voluerit. Et si Deus optim. max. ei vitam prorogauerit, tum senectus vltima præter diuitum quorundam cognatorum amplas hereditates, tum

3 *Qualitas personæ.*

Ratiocinatio

Causa indecens.

ipsa eius eruditio ampliorem ipsi felicitatẽ pollicetur. Quid igitur cũ dedecore etiam concupiscat, cuius neq; in præsentia, neq; in posterũ indigebit? An fortè vt scortũ (quẽadmodũ tu putas) nutriat? Cur non idẽ meis, quas ei perpetuò offerebam, facultatib⁹ ante facilitabat? Certè nisi prorsus insani simus malim⁹ omnes sine discrimine abuti sponte oblatis, quam periculo iuguli nostri furto ablatis.

4 *A signis antecedẽtibus.* Iã quæ de strepitu facto in cubiculo, dictis, factis, alijsq; loci vel tẽporis circumstantijs obijcis, cassa (quod aiũt) nuce vaniora sunt. Non incredibile est adolescentem eodẽ quo tu experrectũ fragore & strepitu paululũ obstrepuisse? Et quid si dixerit se olim ditiorẽ futurũ? Ergo ne ex furto magis, quàm bonis hæreditarijs? Claues meas (inquis) & clathros diligẽtius cõsiderauit. *Absolutio.* Quid audio? quasi nõ soleamus res quaslibet industriè & artificiosè factas, præsertim, si acri quodam ingenio simus prẽditi, exactius cõsiderare. Pereat necesse sit Apelles cum arte sua, si tot insidiatores, quot inspectores habiturus sit. Exilior est, quam de tẽpore & loco cauillationẽ puerilẽ refellam, non quę minus proba ad virtutẽ, quàm improba ad scel⁹ opportuna sunt. Ad hoc tandem venio, ad quod tu non secus atq; ad scopũ quendam suspicionis tuæ summam dirigis, quod videlicet serio interrogatus cum fletu erubuit, quod tandem fugit, ne dicam opprobio cessit quod præterea cum eadem meretricula, cũ qua priùs loqui visus est, rebus omnibus affluens

Lute-

Lutetiam venit. Vt ad postremũ respõdeam. Si vel pudicitia Corneliũ purgabit à furto, vel impudicitia damnabit, & furti arguet omnino nihil ages. Neq; enim Parisios is vnquam vidit, neque istinc mulierculam abduxit: sed quarto die à furto (vt scribis) domi tuæ facto, mœstus huc venit, & adhuc domi meæ verecundus cõtabescit. Ausum illum fidentius rerum tuarum compilatorem, aut furti conscium asseuerare, qui mendacio suo hunc Parisijs agere dixit, quo mali de se suspicionẽ tolleret. Quid ergo erubuit inquis? quid si noxius erat aufugit? Quid quæso mi Chrysogone tu cũ adolescẽs esses, factur⁹ eras, si serio te quispiam furto insimularet, si fama crebresceret, si omnium in te oculos coniectos cerneres? An non post ruborẽ idem fuga opprobrium deuitares, & periculũ declinares? Cum igitur vir prudentissime, coniecturę tuæ neque voluntatem probent, neque facultatẽ arguant, & nonnulla quæ obijciebas, contraria deprehẽdimus, cessabis amodò probo adolescẽti tãtæ improbitatis crimen impingere. Expectabis animo paulò mitiore dies pauculos, an vltrò se verus ingeret facinoris author nec me putes velim hæc tibi improperanti animo virulenter obtrusisse, sed vt Cornelio meo & tibi iuxta consulerem animo candido respondisse, nempe vt infamiam, tibique falsam suspicionem auferam. Vale, & secundas meas literas, quibus te in tanta rerum tuarum calamitate solari conabor, expecta.

Inuersio vel inficiatio.

De Epistola Expostulatoria.

CVm locis quoque status coniecturalis non nihil commune habet (licet in Iuridiciali magis versetur) Epistola Expostulatoria, qua cum amico, interdum quoque cum inimico de officio non præstito expostulamus. Hanc tribus partibus si familiaris sit absoluemus.

1 In prima arguemus amicum non præstiti officij, verùm id admodum leniter & clemẽter, nisi familiaritas etiam seueritatem, etiam iocos admittat.

2 In secunda præcipuam vnam aut alteram, plures quoque si opportunum sit, explicabimus rationes, propter quas meritò non debeat negligenter reperiri.

3 In tertia, voluntatẽ eius excusantes, aliud quiddam in causa fuisse videbimur suspicari hortantes eum nihilominus ad veteris amicitiæ iura.

Quod si argumentum postulet beneuolentiæ captationem in Exordio, & Confutationem, iam quinque partes numerabimus. Libertas Epistolica multa semper tollere & addere potest.

Paradeigma.

1 QVid est mi Theodore, quod iã à natali Christiano plus minus denas Tribonio nostro ad tę literas dedi, & tu vix vnis quidem respondisti? vsq; adeò ne refrixit tua erga me vetus amicitia, vt ne quidem me salutatione digneris? Si non te toties

toties anteuertissem, toties solicitassem, toties rogassem, imò si non me totum tibi aliquando impendissem æquiùs profectò me neglectum tolerarem. Nónne ego te ab ipsis (vt ita dicam) crepundijs puerum enutriui, primamq; tuam infantiam formaui? Nónne te semper vt fratrem, imò vt filium charissimum habui? Quid ergo in causa est quòd me ex amicorum tuorum albo, & ex pectore tuo tam citò eraseris? An naturæ, æquitatis, aut bonitatis ratio hoc suadet? Quæ lex vel sacra vel profana, quæ consuetudo hominum probata, quæ vel impiorum estimatio seu sententia hanc tuam non damnet taciturnitatem? Certè cum hinc discederes, aliter pactus es mecum: secus pollicitus es. Verùm cum mihi prorsus persuadere non possim, te aut mei oblitum, aut crassa quadam negligẽtia amicum non curasse, sed aut valetudine impeditum aut rerum vicissitudine distentum scribere non potuisse, oro vt vel tandem vnis ad me redditis, meis pluribus respondeas, mentiq; meæ scrupulum suspitionis eximas. Vale.

Loci status absoluti.

De Epistola Purgatoria.

EPistolam Purgatoriam propter argumentorum varietatem vniformi & certa ratione tractare vix possumus. Id tamen (præsertim si expostulationi respondendum sit) obseruandum est, vt in Exordio seu in Epistolæ nostræ primo loco, nos amici expostulatione non modo offensos,

verùm etiam plurimùm delectatos dicamus.

Secundo, abominabimur si falsum est, quod suspicatur amicus, cũ modesta quadã obiurgatione.

Tertio, causas verisimiles secundum locos status Assumptiui ponemus, quibus obiurgationem de officio minus præstito diluemus: addentes etiã Quarto, si necesse sit, Deprecationem.

Nouissimo loco studebimus affectibus mouendis & amicitiæ redintegrandæ seu stabiliendæ.

Exemplum Purgatoriæ, super amicæ expostulatione.

EPistola tua, præceptor humanissime, qua mecum de officio dilectionis expostulas, mirum in modum me delectauit. Gaudeo profecto mihi datam (quod aiunt) ansam crebrioribus, quam hactenus te literis sollicitandi. Id tamen vnum malè me habet, quod suspicaris me vel ingratum beneficij tui non meminisse, vel si meminerim, literario officio non ostẽdisse. Sine quæso præceptor, vt tametsi iunior, multóque inferior paucis te arguã Quid est quod tam temerè de me tam indigna suspicaris, qui temeritatem in me tantopere consueuisti reprehendere? An vel verbo vel signo aliquam in me vnquam deprehendisti ingratitudinem? An intra pauculos, quibus abfui menses, veterem rescindere potui, nihil abs te læsus, amicitiam, qui ante tui semper fui studiosissimus? Ne quæso præceptor optime, tam iniqua minimeque ve-

verisimilis menti tuæ suspicio insideat. Nam quēadmodum pridem nihil mihi dulcius tua amica consuetudine, ita nunc quoque nihil mihi prius, gratius, lætius tua amica confabulatione, quam quia coram labiorum strepitu præstare non possumus, literis eminus exprimamus oportet. Sed inquis: Quid igitur non stas literarum conuentis? Cur sæpenumero prouocatus ne semel quidem rescribis? Audi rationem. Iam sextus agitur mensis quod istinc Louanium profectus sum, & principio quidem (vt decebat) literis meis te prior salutaui, & pectoris mei gratitudinem quibus potui verbis expressi. Deinde attulit mihi Aegidius tabellarius noster literas tuas salutaribus monitis & (dici liceat) diuinis tuis preceptis refertas, quibus (vt nosti) omnem meam operam, studium, solicitudinem tibi offerēdo modestissimè respondi. Primo mense elapso iussu parentū, quibus non obtēperare religio est, in Gallias concessi, exploraturus an ne ibi literaria mihi palæstra magis arrideret. Vbi perpetuos tres menses penè frustrà versatus, vix quinto mense ad septimum Kalendas Augusti Louanium reuerti. Inueni autem literarum tuarū aceruum multò mihi omnium iucundissimum apud hospitem meū repositum, quibus semel vnis respondisse non satis arbitratus, binas etiam iusto prolixiores reposui: quarum alteras Petro Delfio, cōmilitoni quondā & sodali meo: alteras Henrico Dordraceno schokæ tuæ auditorib. diuerso tēpore

tibi reddendas tradidi, ex quibus dignaberis reuerende Præceptor, exactius rei veritatem inuestigare (neq; enim tametsi non satis in commisso fideles ibunt inficias) & easdem exigere. Et cum illa, quæ dudum scribebam vera dixeris, faciant hæc tibi fidem reliquorum. Si crimẽ est, quod non respondi, absentiæ meæ imputabis, in qua etsi otium scribendi daretur, commodus deerat tabellarius. Imputabis & illorum infidelitati, qui tibi Epistolas meas nondum reddiderunt, quos tamen certò speraueram rem probè curaturos. Quin & si nondum tibi me satisfeciſſe videar, adhuc confiteor quamcunq; citra conscientiam admiserim negligentiam meam, & deprecor iram tuã & indignationem, tu pro solita tua clementia oro & obsecro delictum condona. Amodò nihil socordię, nihil ingratitudinis, nihil asperitatis deprehẽdes, sed summam in amicitia conseruanda & extendenda: animi mei constantiam. Vale, ex Louanio, octauo Kalendas Septembris.

De Epistola Accusatoria in statu Iuridiciali.

IN statu purè Iuridiciali cùm videlicet de facto constat, si quem accusare decreuimus, & is coram quo accusandus nobis est amicus, ordimur vel à persona nostra, vel eius ad quem scribimus, aut si ad eum attinet reus. Insinuatione vtimur, de qua suprà dictum est. Si autem amicus non est,

aut,

aut inuehimur tantum in ipsum, cui scribimus, aduersarium, in Prima parte Epistolæ perstringimus ipsum, execrantes malitiam studiorum eius cum exaggeratione delicti. 1

In secunda, Narratione præmissa proponimus nulla prorsus ratione defendi posse vel excusari, quod commissum est. 2

In tertia, ostendimus secundum locos huius Status Absoluti negatiuos quod proposuimus: & si causa postulat, etiam Status Assumptiui locos in Confirmatione adhibimus. 3

In quarta, per Epilogum recitatis breuiter argumentis præcipuis, mouendis studemus affectibus, vel ad pudorem, vel ad indignationem, vel ad vindictam, vel ad commiserationem læsi, si ad insontes scribimus. 4

Paradeigma pro Inuectiuis.

SI tanta subinde confidentia & animi robore restitisses, hostibus tuis, cruēte latro, qui te eneruiter è prostibulo fugientem conficere videbātur, quanto nunc astu & crudelitate in bene de te meritum consobrinum tuum (si vera sit fama) grassatus es, haberēs fortassis, quo insolenter gloriareris. Nunc autem post tuas rapinas, post tuas cōmessationes, post tua stupra, post tua adulteria, & reliqua pudendorum scelerum facinora redargutus, & quod flagitiosissimū est, post huiusmodi redargutionis sanguinariam vindictam, qua fronte ad-

huc audes erecto collo, & quasi rẽ probè gesseris, proborũ cõsortio te iactabũd⁹ ingerere. Quis Scyta, quis Turca, quis alius quispiã Barbaræ nationis homo, post tantã impietatẽ non vereatur, non erubescat, non cõtremiscat? Ante dies siquidẽ paucos (vt certa relatione audiui) cum idem consobrinus tuus Sophronius, adolescens citra controuersiam probus & integer, duriùs aliquanto quã vol:bas, post crebrò factas tibi blandas admonitiones, non clancularia (quæ fortassis dissimulanda viderẽtur) sed manifestaria tua stupra reprehendisset, quo te primũ, deinde & tuos probro & infamia liberaret, grande sibi veritate malum & odiũ acerbũ conciliauit. Nam post correptionẽ cùm te bile cõcitatũ ad cœnã honestã quanquã fortassis pro ganeonis palato non satis delicatam, vocasset, tu dissimulata ira, pectorisq; tui virulẽtia aduenisti, & inter faceta colloquia, læta pocula, & candidos hilaresq; conuiuas eundem nihil de te malisuspicatum, cùm poculum labris admouisset, nõ secus ac latro ex insidijs adortus es, & stricto gladio cranium eius grauiter vulnerasti, secturus nimirùm, nisi poculo obiecto ictum mitigasset. Quod parricidiũ, quod latrocinium hoc possit crudelius excogitari? Quis enim atrocius latrocinium perpetret, quã qui simulata amicitia amicũ sui studiosum, ad hæc cognatũ & hospitem iugulet? Quæ tandẽ naturæ lex? quæ scripta lex? quæ probata cõsuetudo? quæ vel æqui & boni ratio non prorsus dãnet? non detestetur? nõ execre-

execretur tantum flagitium? Si lege diuina fratri tuo vetaris irasci, vetaris indignari, vetaris afficere probro seu contumelia: annon multò maximè vetaris verberare, vulnerare, occidere? Annon deterret lex vetus? Qui fuderit (inquit) humanum sanguinem, fundetur sanguis eius. Nonne & ipse in Euāgelio suo nouæ legis perinde ac veteris auctor Dominus Iesus inquit: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit? Annon & humanæ leges varijs modis eadem sanxerūt? Finge adhuc (id quod planè finxisse videris) nulla tibi lege scripta vetitā esse iniuriam & cædem, annon ipsa naturæ mentibus humanis insculpta lege? Quod tibi nō vis fieri, alij facere vetaris? Nónne igitur plus quā beluinū est, diuinis, humanis, & naturę legib. nō terreri, non cōpesci? Quod si deniq; nec deos timebas, nec homines verebaris, cur nō vel ipsa te probitatis & æquitatis ratio à flagitio continebat? Nónne probis satus parētib°, probis cognatis, probè educatus, & hactenus cum probis ipse licet improbus, versatus infando dedecore te dehonestas, dum tibi cognatū te diligentē, de te bene merentem, tuæq; saluti piè consulentē inter geniales epulas potissimū improbissimus obruis, lanias, enecas? Vide (si vel minima tibi sit rationis scintilla) quanto probro te primū tuosq; parentes, & nos omnes tibi consanguineos ac veteres amicos simul affeceris, cum te nobis non hominem, sed beluam: non consanguineum, sed sanguinatum, sed sicarium, sed parricidam,

Lex.

Natura

Aequum & bonum.

sed carnificem, sed latronem exhibueris? I nunc latro & scrutare scripturas, scrutare historias, scrutare cuncta tum priscorum tum recentium monu-
Iudicatum. menta, & obserua num aliquid huiusmodi factum reperire possis, quod non vbique gentium omnib⁹ seculis diuinis pariter & humanis legibus manifestè damnatum sit? Et cùm nullum inuenias, scrutare deniq; cunctos versutissimi ingenij tui angulos, & vide num quid ex omnibus inuenire, queas, quod flagitio tuo mitigando vel excusando, cùm defendere non possis, prætexere queas. Et cum vniuersa calliditatis tuæ latibula euolueris, nihil quod mitiget, quod minuat, quod eleuet, sed quod exaggerat, quod augeat, quod aggrauet scelus inuenies. An aliquod consobrini crimen comminisci
Translatio. poteris, cuius indignitate seu turpitudine compulsus sis ad cædem, nisi fortè Christianam eius increpationem & exhortationem turpitudinis insimules, cui non nisi quod fœdum pulchrum iudicatur?
Remotio. Num te quisquam vi, fraude, iussu, suasu, ad crimen adegit vel induxit? Neminem effinges, nisi fortassis humani generis hostē diabolum, in cuius te, leges, consilia, seruitutem iurasse ostendis, eiusq;
Purgatio & Deprec. parêre iussibus glorioſum iudicas. Si per imprudentiam, per infortuniū, absq; studio & dolo malo læsisses, plus dicam, si prior iniurijs, probro, vel conuicio lacessitus lęsisses, haberes quo te vel purgares, vel certè culpam mitigares, & remissione locus esset: at iam tibi prorsus omnis adempta est

purga-

purgationis & deprecationis ansa. Atqui dicas: Quid illi rerum mearũ curatio erat? Nunquid ego ad illius arbitrium viuere compellar? Quod si non? quid blaterationibus suis bilẽ mihi mouit? quid inquietauit? quid molestauit? Quin sinit meopte me more seu cõsilio viuere? Frigidius quidem id, quã refelli debeat. An non cuilibet Deus mandauit de proximo suo? An non fratrum quisq; sui studere saluti obligatur? An quoque tibi blatarasse visus est, impudentissimi hominum, cum de tuis te scortationibus, adulterijs, alijsq; non minus pudendis facinoribus argueret & corriperet? Ergóne tibi Dominus Iesus blatarasse visus est, cùm discipulos suos pluribus in locis increpasse legitur? Ergóne blaterandum voluit, cùm fratrem peccantem secreto, & si proterueat, etiam in Ecclesia palam arguendum præcepit? & Paulus Tito scribens, Cretensium quosdam malas bestias, & ventres pigros redarguendos & durè increpandos præcepit? Tu reuera deblaterare dicendus es, qui huiusmodi ad excusandum excusationes in peccatis (vt scriptum est) comminisceris & temerè effutis, vt peccatum adijcias peccato, & impleatur in te, quod scriptũ est: Impius cùm venerit in profundum malorum contemnit, superuenient autem ei ignominia & opprobrium. Ad hæc, Non occidi (inquis) id, quod iterando sæpenumerò odiosus mihi impingis, sed caput eius leui duntaxat vulnere strinxi. Tu homo nefande, leue vulnus iudicas, propter quod

Confutatio.

Confutatio.

primis diebus moriturus credebatur, omnibus Ecclesię sacramentis medico suadēte munitus? propter quod æger adhuc detinetur in lectulo de futura vita incertus? Et quid carnifex infrunite, iactare te audes non occidisse, quem citra omnem controuersiam extinctū volebas quem sola (si dici liceat) Fortuna in primo ictu poculū seruauit & in secūdo conuiuarum præsidiū? Quin & si nulla corporis parte consobrinum lęsisses, voluntas, propositum, studiū, conatus te non modo homicidam, sed & pessimū parricidam iudicaret. Certè Deus non tam effectum quam affectū, nō tam facultatē quā voluntatē considerat & iudicat. Cùm igitur nul-
5 Epilogus. lum vel ostēdere, vel excogitare queas indignius, fœdius, atrociusue tuo flagitio, tum propter tuam plusquam vulgarem ingratitudinem, tum propter tuam plusquam Lycaoniam fraudē, tum propter tuam plusquam carnificinam crudelitatem si vel modica adhuc tibi portio mentis inest, & minimum diuini timoris vestigium, tolle fastum, tolle arrogantiam, tolle superbiam, & extentam districti Iudicis super te manum, singulis momentis expauesce, digniſq; pœnitentiæ fructibus, hoc est perpetuis cum morum tuorū correctione gemitibus, lachrymis, & λιτανείς supremum iudicem (si horrendum inferni chaos, & æternos damnandorum cruciatus euadere cupis) placare stude: quanquam hæc tibi deplorato & cum Iuda proditore. Cainéque ἀδελφοκτόνῳ, vtroque desperabundo

bundo frustra consuliſſe vereor. Vale vt meres, & niſi reſipiſcas, nec Deum, nec homines tibi ſperes fore propitios.

Hac vel ſimili ratione calamo concitatiore in ſceleratum hominem inuehimur, incuſantes, & ad ipſum ſcribentes ſeorſum. Quod ſi quempiam in hoc ſtatu coram alio accuſaturi ſumus, eodem orationis ſtylo, mutata duntaxat accuſandi perſona, procedemus, hoc vel ſimili modo, cum inſinuatione ſumpto exordio.

Idem alia ratione dum ſcribimus ad amicum.

CVm te, vir ornatiſsime, non modò prudentem, verumetiam iuſtum didicerim & probitate præditum non vulgari, non iniquo te animo laturum ſpero, ſi tibi fraterna motus charitate ſcelera eorum, qui tibi vel familiares, vel ſanguine iuncti ſunt (quanquam ignotus) ſuggeram: vt vel is, qui lapſus eſt, corrigatur, aut tu (ſi quomodo fieri poſsit) tuo honori & famæ conſulas. Eſt ſiquidem viri boni, non magis ſuorum vitijs, quàm alienorum conniuere, neque minus in ſuos (quatenus ſinunt leges) quàm in alios animaduertere. Præcipit quoque diuina ſcriptura, vt curam habeamus de bono nomine: hoc enim magis tibi permanebit (inquit) quã mille theſauri magni & precioſi. Ante dies paucos (vt certa relatione didici (cùm Sophronius tibi affinis ſeu cognatus

neſcio, adoleſcens ſanè citra controuerſiam probus, & ſecundum nomen ſuum, prudens, modeſtus, & tẽperatis moribus durius aliquanto, quàm volebat filium tuum (abſit verbo indignatio) obiurgaſſet, & poſt blandas crebrò factas admonitiones non clancularia (quod ea fortaſſis diſſimulanda viderentur) ſed manifeſtaria eius ſtupra & commeſſationes redarguiſſet, vt primum eius, deinde & amicorum eius omnium famæ & honori conſuleret, grande ſibi veritate malum, & odium acerbum peperit. Nam poſt redargutionem, vt ipſum (quia bilem commotam videbat) ad cœnam honeſtam, tametſi fortaſsis ad ganeonis palatum non ſatis delicatam, vocaſſet, ipſe tuus filius Dyſcolus diſsimulata ira pectoriſq; ſui virulentia aduenit, & inter faceta colloquia, læta pocula, candidos lætoſq; conuiuas eundem Sophronium de ſe nil mali ſuſpicantem, cum poculum labris admouiſſet, non ſecus ac latro ex inſidijs adortus eſt, & ſtricto gladio capitis eius craniũ grauiter vulnerauit, ſecturus nimirũ, niſi ſtanneo obiecto poculo, ferientis de ſuper ictum mitigaſſet, &c. Et ita de reliquis mutata perſona ſecunda in tertiam.

De Epiſtola Excuſatoria ſeu purgatoria, in hoc ſtatu Iuridiciali Aſsumptiuo.

EXcuſatoriam autem ſeu Purgatoriam Epiſtolam in hoc ſtatu ſcribentes, Primũ cum omni mode-

modestia,& pœnitudine delicti captabimus beneuolentiam, & si causſa postulet, vtemur insinuatione.

Secundum, Narrata causſa fatebimur in Propositione crimen esſe tam enorme, vt nulla prorsus ratione vel lege, vel Natura, vel alijs Absoluti status locis defendi possit, adeoq; venia indignum minimè tamen desperandum. 2

Tertium, si qui sint in statu Assumptiuo loci nobis vsui adhibebimus, ad mitigandum delictum: quod si omnino mitigari non possit, soli Deprecationi studebimus. 3

Nouissimo loco affectibus ad clementiam mouendis studebimus. 4

Paradeigma.

SI tanta districtione, pater reuerende, Seuerinus, (quanquam fortassis tibi incognitus) noster, quẽ ad te quoq; scripsisse dicunt, corã te peccatũ meũ exaggerauit, vt in Epistola, quam ad me dudum dedit, nullus profecto neq; venię, neq; deprecationi meæ apud te reliquus erit locus, nisi quẽadmodũ hactenus experiar te denuò præ cunctis mortalibus clementissimum patrem. Tam grande siquidem & enorme mihi peccatũ meum ostendit vt penè de venia me desperabũdum fecerit. Dum pietatem rursus autẽ pater, tuam bonitatem, tuam clementiam, qua filij tui primogeniti periclitantis obliuiſci non poteris, mente pertracto, denuò

ſcintillula quędã ſperandę remiſsionis mihi affulget, denuoq; te ſollicitandi & obſecrandi anſã prębet. In primis itaque peccata mea pater non ſolum cõfiteor, verũetiam cũ Aſoto Euangelico profiteor coram Deo & coram te maxima, atq; hoc vnũ præcipuè, quòd conſobrinũ meum Sophronium, adoleſcentem probum & pudicum, de me quoq; ſæpenumero bene meritum, ego improbus, impudicus, & acceptis beneficijs ingratus, cum dignè reprehenderet, indignis modis affeci, grauiſsimè vulneraui, & (quod in me omniũ maximè execrãdũ eſt) plena voluntate, tota induſtria, & omnibus neruis priuare vita conat⁹ ſum. Quid dicam homo omnium quos ſol videt impuriſsimus, & impijſsimus? Quod excuſabo? Quo me iure vel iniuria purgare tentabo, quẽ naturę ratio, quẽ diuinæ pariter & humanæ leges, quẽ conſuetudo patrię, quẽ quicquid eſt in rerum natura æquitatis & bonitatis, vno ſimul ore condemnant: id quod etiam ſeuerius Seuerinus noſter tam plana ratione monſtrauit, vt velim nolim prorſus obniti non poſsim. Quid igitur mihi reſtat, niſi ſola pro flagitij mei purgatione deprecatio? quam licet rhetorici corã huius ſeculi iudicibus inualidam nouerint, apud Deũm tamen & coram te, clemẽtiſsime pater, non parũ mihi valituram confido. Si dicam (id quod tamen verè dicere poſsim) à ſodalibus meis quibuſcũ quotidie ganea, popinas, & fornices frequentare conſueui, me deprauatum & ad cædem incitatum,

Quod, in quo.

ςmotio.

tatum,qui ſedulò mihi hæc, & his ſimilia ſuggerebant & obtrudebant. Quouſq; tibi fines tuũ luxũ, tua proſtibula,tuas commeſſationes improperari? Téne ſemper bi συλόδηκται (ſic enim vocant eos, qui orationis & pietatis gratia crebriter templa ſubeunt) ludibrio habebunt, homo ignauiſsime? Quouſque tandem tua ſolertia abutentur, ſuumque tergent (ſi venia dicto) podicem? Vel ſemel te tandem oſtende virum,& de Sophronio præſertim & Seuerino ſupplicũ ſume. Si ab his(inquam) me dixero ad facinus incitatum, os meum condemnabit me. Quid tibi(mox infers)cum peſtilentiſsimis,quorum pedes,ſecundum Sapientem, ad malum currunt,& feſtinant vt effundant ſanguinem conuerſatio fuit? An ego te talibus,quos audias, præceptoribus commendaui? An non cùm hinc diſcederes cum Salomone tibi mandaui: Fili, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis? Inepta igitur hęc foret excuſatio. Quin & ſi dicam: quod ipſe me prior conuitio verberauerit, & pudore affecerit, dum inter conuiuas probri inſimulauit,indigniſque modis vulnera mentis meæ refricuit & recrudeſcere fecit: in hoc tibi prębibã hoc poculũ(inquies)cõſobrine, vt amodò lucronibus, ganeonib.balatronibuſq; derelictis, nobiſcũ ſobriè pudicè, & honeſtè conuerſeris. Et ſi me quidem hoc vituperationis iaculo confoſſũ,tanquam propter rem indignam dicere velim,abſtinere à vindicta nõ potuiſſe,ipſa me cõſciẽtia vanitatis arguet. *Purgatio.*

Nam tametsi ex his verbis cædendi occasionem sumpsi, animo tamen virulento & vindictę cupido coniugij locum ingressus sum, gaudebam quoque perpetrandi facinoris ansam mihi præbitam. Vt sileam, quod non hæc exprobrandi, sed saluti meæ consulendi animo verbis clementibus & vultu hilari locutus est, vt sanè omnes qui aderant, contra me testabũtur. Cùm ergo mi pater neq; criminis remotio, neque criminis translatio, neque criminis purgatio quasi studio non fecerim satis mihi suffragatur ad solam pœnę deprecationem, vt coram Deo sic & coram te mihi confugiendũ est, ipsamque plurimũ mihi (vt antè dixi) valituram confido.

Deprecatio Oro te igitur pater clementiss. & obtestor per has meas preces, & lachrymas, per patrium tuum erga liberos affectũ, per summã & omnibus promulgatam tuam clementiam, per Dei nostri & cœlestis patris, quẽ tu quoq; mecũ tandem iudicem habiturus es, ineffabilem misericordiam vt hanc mihi maximam cõdones noxam. Si tam tibi manifestã cordis mei amaritudinem & pœnitudinẽ quouis alio corporali iudicio reddere possem, quam hæc charta infusa præsentes has lachrymas, corã te facilè testabitur, non secus ac pater ille euangelicus post fugam, scorta, & omnium rerum profusionẽ filium suum prodigũ, me quoq; in pristinam scio gratiam reciperes. Profecto (vt noui cordis tui, pater ingenium) ad longè adhuc potitũ, senij oblitus, vltrò prouolares, & in collum prostrati proruens

ad

ad amplexum & oſculū denuò admitteres. Excitent igitur mi pater hæ lachrymæ paternum tuum affectum, & recipe tandem pœnitentem quē hactenus præuaricantem paſſus es. Fac quod natura, quod leges, quod conſuetudo, quod æquū & bonum, quod honeſtas quoq; & vtilitas pariter ſuadent. Quonam enim pacto obliuiſci poteris, pater, filij veteris tui? Annon & pater noſter cœleſtis his multò maiora nobis filijs ſuis (vt teſtis eſt ſcriptura) remittit? Annon idē quoq; fieri quotidiè citra oblocutionem videmus, vt parentes liberis delicta condonēt? Et quis iniquū iudicabit, imò quis non omne, quod legitimè videbitur aduerſari, in mitiorem partem interpretabitur, ſi filium pater quātumuis lapſum poſt pœnitentiam ſubleuet? Si te (quod abſit) poſt lapſum vel contemnerem, vel auerſarer, nemo fortaſſis tibi vitio verteret, ſi me prorſus abdicares, verùm iam reſipiſcentē & miſericordiam implorantē, ſalua pietate pater, ſalua honeſtate reijcere nō potes. Succurrat tibi quæſo, quoties alijs meis fratribus, non leuioribus fortaſſe delictis obnoxijs, piè remiſeris, & pietatē ſeruaſti, quos auſteritate perdidiſſes. Pari quoque ratione me ſeruaueris, ſi vtare clementia: aut perdideris ſi vtare duritia. Ex te ſiquidem propitio tota ſalutis meę pendet ratio. Eia igitur mi pater, ignoſce filio, quo proximiorem nō habes, ignoſce adoleſcenti, quē natura feruidum & lubricum nouiſti, ignoſce lachrymanti, ignoſce pœnitēti, ignoſce Chriſtiano

Loci Abſoluti.

Christianus, per illam perpetuam, inæstimabilem charitatem, qua dilexit nos adeò Deus pater, vt filium suum vnigenitum daret in mortem pro peccatis nostris, per illam mortem, per illam crucem, per illum sanguinem Iesu Christi Domini nostri, ignosce, inquam, mihi hanc culpam, vt amodò me nō modò saluti reserues, sed & perpetuò tibi summo amore deuincias. Certè nihil pientius aut Deo acceptius, nihil honestius, nihil quoq; vtilius vnquam feceris. Vale, mi pater, ex Louanio.

Fusius tractaui hoc argumentum, quo puer status Assumptiui locos clarius considerare queat, & eis tum in oratione, seu declamatione, tum in Epistola vti discat.

De Epistola Defensoria, in statu Absoluto.

SI causa talis sit, vt non solum excusationem in statu Assumptiuo, verūetiam defensionē in soluta admittat, Epistolam hoc ordine disponemus.

1 Primo breuibus si necesse sit, captata beneuolentia factum narrabimus, de quo accusamur.

2 Deinde (nisi inficiatione vtamur) proponemus μετὰ τῆς παρρησίας factum quidem nos admisisse, sed à scelere prorsus alienos esse.

3 Tertiò ostendemus nos per locos status Absoluti bono iure feciſſe, vnde nos temerè seu perperam accusator insimulat.

4 Quartò, si res postulet, confutabimus, si quid aduer-

aduersarius obiecerit, vel obijcere potuerit.

Quintò ponemus Epilogum. 5

Paradeigma Defensorium in statu Absoluto.

QVod non ipse, venerande preceptor, ad te veniam, sed literis in apologiticis causam meam defendere malim, id in causa est, quòd audierim te accusatoribus meis fortè plus satis aures præbuisse credulas: & non solùm mihi grauiter succẽsere, sed etiam Petrisci cõmilitonis mei parentibus sumendũ de me supplicium promisisse. Cõsultius igitur absens iudicaui commoti pectoris tui animum epistola mitigare, quam temerario occursu ab vtroq; nostrũ ad indigna te prouocare. Et licet de te vir prudentissime, nihil indignũ suspicari debeam, non potui tamen hunc menti meæ prorsus eximere scrupulum, quin priusquam causa diligenti examine discussa foret, iniuria cædendus essem, quòd soleant admodum adolescentes etiam tuta pertimescere. Audio delatores meos, nempe parentes vnà cum filio suo Petrisco tribus me pariter apud te criminibus accusasse, maiestatis videlicet, lasciuiæ, & rapinæ, de quibus vt me probẽ innocentẽ, quod factũ est, nihil omnino dissimulans, ex ordine tibi breuiter recensebo. Cùm nudiustertius remissione nobis facta à lectionibus, cũ probis admodum & literarũ studiosis commilitonib. meis montes, quos Amers fordianos vocant,

Insinuatio.

Narratio.

arenoſos animi gratia acceſſiſſem, iunxiſſetque ſe nobis, licet inuocatus & ægrè admiſſus, Petriſcus Barbarius certò conuenit inter nos pacto & multa, ne quid cõtra leges ſcholaſticas in itinere committeremus. Peruenimus ad eum quem deſtinauimus locum, luſimus vltrò citroque currentes, vt æſtus ſolis vehementior permittebat. Reuerſi ſumus tempeſtiuè, ſed admodũ ſitibundi. Cum peruenisſemus autem laſſi ad diuerſorium in itinere publicum, cui interſignium eſt ceſpes iunceus, & penè ſitis ariditate deficeremus, cauponã nemine reclamante ſermone illi vernaculo primus euocaui, & cantharos ceruiſiæ duos aut tres foras ad veſtibulum, vbi conſidebamus, adferri curaui. Allati ſunt, bibimus, itineri nos denuò accinximus, ipſe ſolus, petẽtibus cæteris ad obolum pro hauſta ceruiſia cauponæ argentum ſolui. Inter ambulandum requiro pecuniam meam ex ijs, qui contra leges peccauerunt, ſponte dederunt alij, vnus Petriſcus, qui ſermonis vernaculi bis notatus fuerat, vnius quadrantis multam ſoluere recuſauit. Quid tandem? Cum iam eſſemus vrbem proximi (vt inter nos primum conuenerat) libellum manualem, quem fortè aſſumpſerat, inuito fateor, abſtuli, non mihi quidem vendicandum, ſed tantiſper cuſtodiendum, donec ſolueret quod debebat. Ecce rem, en factum, propter quod tantam mihi apud te tragœdiã excitarunt. Tu vide quęſo venerande præceptor, an non facilẽ poſſim me criminib⁹ obiectis

non

non modò excusare, nõ modò venia digna, sed & insontẽ demonstrare. Si non secũdum locos & efficacissima, quæ nos docuisti, rhetorum præcepta, me non iniuria, sed optimo iure fecisse omnia, & prẹsertim id, de quo maxima est controuersia, planè probauero, pro tuo arbitrio corrigi non detrectabo. Primum omnium læsisse me dicunt tuam maiestatẽ, legesq; tuas scholasticas temerè & cõtẽptim (si dici liqueat) prẹuaricatum esse, & hoc vno crimine gemino me delicto inuoluũt, nẽpe vernaculę locutionis & ganonię. Si tantum notat⁹ essem prẹceptor optime, & multã soluissem veniam me posse mereri confidẽs, natesq; flagris subducere, nec reus maiestatis argui possem. Nunc autẽ cum neq; tuas sacrosanctas leges prẹuaricat⁹ sim, neq; quicquam quod probari possit, in contẽptum, vel contumeliã earũ dixerim, me puto coram te prorsus insontem iudicandum. At lingua vernacula locutum inquiunt. Non inficior, cum muliere. At secundum leges nulla prorsus ratione lingua vernacula loquẽdum contẽdũt. Fateor, cum scholastico: id quod callidi & subdoli subijciẽtes optimè promulgatam abs te legem nequiter subuertunt. An *Consuetudo.* non suauissime prẹceptor id hacten⁹ in schola nostra non illaudabili consuetudine obseruatum est, vt cum externis & maximè idiotis & mulierculis sermone illis vernaculo impunè loqui liceat? An- *Iudicatum.* non tuo ipsius haud temerando iudicio semper accusati de simili casu penas alioqui debitas euasere?

Aequum & bonum. Annon æquum & bonum etiã Scythę (modò corã illis cauſa agatur) iudicabunt, ſi cum Germano germanicè, cũ Gallo gallicè, cum omnib. ſermone illis vernaculo loquamur, præſertim ſi linguã Latinam vel Græcam ignorent? Annon ſi ſecus agamus, aut inſanire nos putabũt, aut à communi hominum vita alienos? Obſtupeo ſi nõ & ipſa natura hoc ſuadeat. Obiecerunt ſecundò, quòd contra leges tabernam popinariam acceſſerim potus gratia. Tabernas quaſlibet, inquiunt potus gratia ne accedito. Rurſus moderatę legis peruerſi citatores & falſarij ſuo ſe gladio iugulãt, cũ non ſcriptum ſit, ne accedito, ſed ne introito. Aut probẽt me igitur introiſſe, aut tuo iudicio immunem ſinant. Quin & *Natura* hoc auſim de prudentia & æquitate præceptoris mei ſeu cõfidere ſeu prę ſumere, ſi cõtra verba legis omnino domũ introiſſẽ, & poſt luſum exercitationeſq; cãpeſtres, poſt laborẽ itineris, poſt tantos ſolis ardores pro naturæ refocillatione bibiſſem, iuxta legitimam certe cõſtitutionẽ Scripti & ſententiæ, tuo iudicio liber à calumnia delatoribus inuitis, euaderem. Nam domus illa licet alijs *Conſuetudo.* ſiue taberna, ſiue popina, ſiue ganea ſit, mihi certè diuerſorium fuit: & natura licet vſq; ſit à nimietate & ſuperfluo rerum vſu coercẽda, nunquã tamen ſubtractis neceſſarijs eſt obruẽda, ſecundum legem à prima rerum origine ſibi inditam. Vt ſileã interim, quàm nullus vnquam reprobauit conſuetudinem, & morem patrium, quo viatores ad ſitim ſedandam

ſedandam huc ſolent plerunq; diuertere. Veniam tandem ad præcipuum totius controuerſiæ caput, veniam ad rapinam, quòd ſcilicet Petriſci manib. libellũ extorſerim & mihi ſeruarim. Non ibo inficias, ſed quod iure fecerim euidentibus argumẽtis edocebo. Abſit vt quenquã mortaliũ iniuria afficiam, quem optimi parentes mei ab infantia & incunabilis Deum timere, innocentiam ſeruare, & virtutem amplecti docuerunt. Auſim dicere (citra tamen arrogantiam intelligas velim) veneranda præceptor, quod neq; tu, neq; quiſquam cõmilitonum meorũ me ſecus agentẽ hactenus deprehenderit. Rapuit, inquiunt filio meo librum. Factũ, & factum probè. Quis enim vel natura inſtigante ſua non repetat? mea vt reciperem, pignus accepi. Quæ autem leges vel ſacræ vel prophanæ pignerationem non admiſerunt? Annon & mihi liceat vel dare pignori, vel accipere, quod multis ante nos ſæculis licuit omnibus, quod in omni gente & hominum natione conſuetudine nunquã reprobata ſeruatum eſt? Pignus oblatum (fortaſſis dicent) accipere licet, non vt tu tolleres. Si (inquam) vltrò dediſſet poſtulatum, neutiquam vi extorſiſſem. At per magiſtratum aut tuo arbitratu id fieri debere contendent. Verum fortaſſis, niſi ſpontaneo prius inter nos ita conueniſſet, aut ſi quis noſtrum ſcholaſticas leges præuaricatus eſſet, & multam impoſitam requiſitus ſoluere detractaſſet, aut ſoluendo nõ eſſet, pignus ei aut volenti, aut nolẽti tolleretur,

Natura.

Lex.

Conſuetudo.

Pactum.

& cuius noſtrũ cuſtodiẽdum traderetur, dum ſolueret, quod deberet. Ita pactum ſit executũ. Nunquid non te iudice prudẽtiſſime prę ceptor, Petriſcus ipſe, qui pactum noſtrum irritũ fecit, ſceleris condẽnandus eſt? & ego, qui iuſtè, quod iuſtũ eſt, executus ſum, criminis abſoluendus? Nũquid non etiam Euangelicus paterfamilias murmurantem, pluſq; mercedis exigentẽ operarium durius redarguit, & iuxta pactũ, quò ſecum conuenerat, inanẽ & ſpe ſua fruſtratũ dimiſit? Deniq; quis tandẽ vel iniquum, vel inhoneſtum, vel indecens iudicabit, etiamſi lex aliqua durior huic negotio contrarium ſonare videatur, ſi cogatur is, qui pariter nobiſcum aliorum, quam debebant, impẽdia deuorauit, & ingurgitauit, etiam ſua impẽdere, & quod alij ſponte contulerunt vel coactus ſoluere, & ſtare conuẽtis? Cõueniam & ipſos æmulos & delatores meos. Vos iniqui cõuenio, & de ęquo, & bono vos cõſulo, qui, quò filio liberiùs indulgeatis pene me poſcitis, ſi veſtrum pari ratione negotium cum debitoribus ageretur, quid aliud faceretis? Nũquid non eos ſtare conditionibus & pactis poſtularetis, & iuxta condictũ quamuis inuitis pignus tolletis? Et qui cauſam hanc meã ſecus iudicare poteritis? Sed vnum mihi obeſt (ne dicam vobis) quòd filio plus æquo tribuitis, aureſq; plus æquo faciles deferenti (ne dicam mentienti) præbetis. Te autem ſpero, prudẽtiſſime præceptor, qui temerè non omnibus credendum, qui cuncta cum iudicio diſpicienda,

Iudicatum.

qui

qui & in iudicijs alteram partẽ audiẽdam nos docere conſueuiſti,te (inquam) ſpero,imò non ſpero ſed certius noui non vſq; adeò mulierculæ, aut ſi quoq; pater adfuerit φιλοσόφων querelis credidiſſe,quin hanc meam Apologiam æquas fis mẽre admiſſurus. Cum legeris autem, & probatiſſimorum qui adfuêre iuuenũ teſtimonio me nihil à veritate alienum narraſſe didiceris,dicta dictis,facta factis, rationes rationibus confer,& ſi me ſontem (vt illi volunt)iudicaueris,ſcholaſtico more caſtiga:ſi inſontẽ(vt ipſe confido) liberũ pronuncia. Cum ſint enim ſingula,quæ à me vel dicta vel facta ſunt,aut naturæ proxima,aut legibus probata, aut conſuetudini conformia,aut æquo & bono conſentanea, aut pacto conueniẽtia,nec vnquã à prudẽtib⁹ ſceleris iudicata ſint,cumq; me ſẽper hactenus,prout hęc ætas tulit,maturum,probum,veracẽ,pudicum, & alieni abſtinentem (liberè loquor) probaueris, contra Petriſcum(quanquam illibenter dico)leuẽ, improbum,mendacem,impudicum,furacem pariter ac rapacẽ ſæpenumerò deprehẽderis, confido (vt dicere cœperam)quod tua diſcretione & prudentia me redargutis, & conuulſis aduerſariorum criminationibus inſontẽ pronunciabis, & ſola veritate nixum eriges. Certè veritas premi quidem poteſt,opprimi autẽ non poteſt. Vale, præceptor venerande,& ex tuo pẽdentẽ ſano iudicio diſcipulum recipe. Si quid autẽ acerbius,inconſideratiuſue pro innocẽtia mea tuenda calore iuuenili incitatus

5 Epilogus.

effutiui clemens ignoſce. Iterum vale.

Hanc quoq; Epiſtolã generis iudicialis in ſtatu Iuridiciali Abſoluto (quanquam puerile ſit argumentum) ideo prolixius oſtẽdi, quòd rem Epiſtolicam à principio dixi me ea ratione tractaturum: vt ijſdem etiam præceptis, ijſdemq; locis in orationibus ſeu declamationibus rhetoricis puer vti poſſit, aut locos eoſdẽ apud alios in filo, ſeu contextu orationis vſurpatos obſeruare, quibus me planiſſimè, & craſſa (quod aiunt) Minerua, in Epiſtolis vſum viderit. Solet enim plerunq; id planius exhiberi, adeóq; facilius conſiderari & intelligi, quod latius explicatur, quàm quod arctius ſub breuitate contrahitur. Admiſi præterea non modò in hac, verumetiam in alijs quibuſdam Paradeigmatis exempla ſeu ſchemata, tropos, exaggerationes, & amplificationes rhetoricas: vt res Epiſtolica ad orationis artificium proximè accederet, & puer induſtrius diſcat ex paruis ſubinde grandiora tentare. Et tantum de Epiſtolis, quæ ſub tribus cauſarũ generibus militant, dixiſſe ſufficiat.

De genere Dialectico, & Epiſtolis eius.

ADdi poteſt ex Dialecticis etiam Dialecticum ſiue Didacticum dicendi genus, quo etiam amicum per Epiſtolã de re qualibet ſacra vel prophana exactè docemus. Quod quia admodum varium eſt, paucis perſtringam, & lectori ſimilia meditanda

ditanda secundum dialecticorum præcepta relinquam. Habeat itaq; dialectica epistola, si quis eam scribere velit, & thema simplex fuerit.

In prima parte, Narratiunculam cum propositione amici, ducto exordio vel ab officio scribentis, vel alterius persona, &c. 1

In secunda, Definitionem thematis, & si necesse sit etiam vocis etymologiam: Item distinctionem si vox ambigua sit. 2

In tertia, Causas eius, præcipuè efficientem, & finem. 3

In quarta, Diuisionem vel in species eius, vel in partes, &c. 4

In quinta, Officia singularū partium, cum Epilogo: vt in dialecticis tradi solet de thematis simplicibus. Libertas quoque epistolica, si quis thema simplex componere velit, facilè admittit: vt si quis post explicationem virtutis secundum prædictos locos tandem doceat virtutem amplectendam. 5

Paradeigma Epistolæ Dialecticæ.

PEtis amice integerrime, vt tibi breuibus non penicillo, quod pictorum est, sed διδακτικῶς & literis, quod dialecticorum pariter & grammaticorum est, Virtutis imaginem & omnia quæ ad eam attinent, ad viuum (quod aiunt) depingam. Quod licet pro rei magnitudine breuibus (vt volebas) fieri cōmodè non possit, dabo tamen operā, vt vel ipsa rerū summa capita, si singula speciatim

Thema simplex.

prosequi nõ possim paucis perstringã. Nihil enim amico præcipuè de me bene merito negare debeo sed quæcũq; petierit, si exactè non possim, vel subfrigidè præstare. Virtus itaq; moralis, de qua sola,

5

Etimologia, & Finitio.

vt Christiano homini conueniat, disputare me voluisti, & quam alij grãmaticorum à viro, vt virũ à vi, alij à vireo deduci voluerunt, est affectus bonus Deo cooperãte per exercitiũ acquisitus. Est siquidem virtus (vt mihi videtur) moralis, quatenus in Christiano homine Deo accepta sit, affectus ad animi porobitatem, & vitę honestatẽ propẽsus, qui Deo inspirante, & inspiratũ promouente, promotumq; confirmante per vsum & assuefactionẽ adnitentium acquiritur. Sensit id quoq; Aristoteles in libris moralium, qui virtutem habitum esse definit electiuum in mediocritate consistentem, vt Argyropilus: aut, vt alij volunt, Affectus est voluntarius in mediocritate consistens, Ἐστὶ ἕξις (inquit) προαιρετικὴ, hoc est, habitus, seu potiùs affectus permanentior, vtpote lõgo vsu & exercitio acquisitus, qui ex iudicio seu electione voluntatis assumitur, vt ὁρμὴ, hoc est, animi impetus secludatur, in mediocritate existens, hoc est, inter exuberantiam & defectionem, quæ duo extrema in animi nostri defectibus vitiosa sunt. Rectè, sic quidẽ Aristoteles, quod ex libera animi voluntate procedere virtutes debeant, nec ita animis nostris, vt theologicæ fides, spes, charitas infundantur, sed nostrũ studium, & exercitium, vt acquirantur, requirunt:

quirunt: verùm quem ignorabat Deum seclusit, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona sua voluntate, siue (vt Paulus dicit) ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. ad Philippenses 2. sine quo in rebus humanis nihil verum, rectum, aut consummatum, sine quo nulla nostra opera quantūuis in speciem bona videntur, nobis possunt esse salutaria, aut conditori nostro accepta. Quid enim Catone prudentius? Manlio iustius? Scipione fortius? Curione moderatius? pariter tamen omnes defecerunt, nec ad quam tēdere videbantur beatitudinem, peruenerunt, ad quam profecto nulli sine Christo, qui ostium est, intrare permittitur. Ad Christū autem nullus venit, nisi pater qui misit ipsum per spiritum suum traxerit eum. Qui audiuit (inquit idem Christus) à Patre, & didicit (per Spiritum intellige) hic venit ad me. Finis quidem virtutis est beatitudo, quam tamen sine Deo cooperante & causa efficiente præcipua nemo mortaliū quantumlibēt virtutis studiosorum assequitur. Immò quæ sine Deo virtus est, seu potius esse videtur, vera virtus non est, quia formam, quæ dat esse rei secundum philosophos, non habet. Rem autem hoc loco ipsum virtutis opus intelligo, quod non secus ac materiā quandam in studio & exercitio virtutis tractamus. Vera siquidem forma virtutis est, vt quam à Deo authore proficisci nouimus, Deo acceptā feramus: per ipsumq; non modò consummandam, verumetiam ad beatitudinē promerendam nobis

3 Causa.

efficaciam habituram credamus. Diuiditur autem
3 Virtus moralis à Philosophis in Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinẽ, & Temperantiam, quibus & sapiens quidã subscribit, qui in æternæ sapiẽtię laudibus post multa eius secundũ has virtutes, in nos collata, ampliter enumerata beneficia, tandem sic inquiens absoluit. Enthymema. Σωφροσύνην γὰρ καὶ φρόνησιν ἐνδιδάσκει, δικαιοσύνην καὶ ἀνδρείαν ὧν οὐδὲν χρησιμώτερον ἐστὶν ἐν βίῳ ἀνθρώποις. Hoc est, tẽperantiam enim seu continentiam & prudentiam docet, iustitiam & fortitudinem, quibus vtilius seu preciosius nihil est in vita mortalibus. Vides quàm appositè prioris distinctionis nominibus, tametsi non eodem ordine iam citatus scripturæ locus conueniat? nisi quis σωφροσύνην magis aut continentiam, aut potius animi sobrietatẽ significare contendat. Porro prudentia est rerum appetendarum & fugiendarum scientia, & quibusdam non tam moralis, quàm intellectualis videtur. Aut (vt Aristoteli placet) virtus est, adeoq; habitualis (vt vocant) affectus verum cum ratione operatiuus circa ea quæ sunt vel bona vel mala: & subdiuiditur in rectum consilium seu Εὐβουλίαν, qua quibuslibet pro diuersitate causarum rectè consulere nouimus. Rectum iudicium seu Εὐκρίνειαν, qua secundum omnes iustitiæ partes quid iustum, honestum, vtile, æquũ & bonum in singulis quibusq; causis iudicare possumus. Debitam considerationẽ (Græci Εὐλογισμὸν dicunt) quæ rerum principia, media,

Diuisio.

Diuisio cum officijs.

media, & fines, ne quid temerè aggrediamur dispicimus. Iustitia quoq; virtus est propriam cuiq; tribuens dignitatem, & discerpitur in Pietatem, qua Deo, parentibus, & proximis sanguinis: Obedientiam, qua superioribus: Gratitudinem, qua benefactoribus: Beneuolentiam, qua amicis quod suum est tribuimus. Sic Fortitudo, quę est cõsiderata periculorum susceptio, & laborum perpessio, diuiditur in Magnanimitatem, qua res arduas citra temeritatem aggredimur: Longanimitatem, qua dura constanti & infracto animo perpetimur: Patientiam, quæ singula quantumuis aduersa, clementi seu miti animo suscipimus. Temperantia quoque virtus, quæ ab omnibus, quæ turpiter appetuntur, appetitum compescit: diuiditur in Sobrietatem, qua à superfluo cibo & potu: Castitatem, qua ab inordinata Venere abstinemus: Modestiam, qua moderantes animo omnem fastum & arrogantiam vitamus: Mansuetudinem, qua comite & sine amaritudine vel iræ, vel odij, cum quibuslibet conuersamur. Paucas è pluribus speciebus obiter tetigi, vt thematis partes per diuisionẽ paulò tusiùs prosequerer, earumq; sigillatim officia tibi inuestiganda demonstrarem. Nec me latet plures esse, exactiusque de eis disputari posse, verùm hæc tibi pro Epistolari tum breuitate, tum facilitate sufficiant. Ad hoc autem nobis adnitendum, & summo studio contendendum, vt cuius finitionem, diuisionem, causas, & officia, vel

Definitio. Diuisio. Officia.

Finitio, cum diuisione, &c.

Finitio cum alijs.

Thema compositum

calamo deſcribere, vel lingua recenſere nouims, quamq; præ cæteris, mortalium rebus, tum propter honeſtatẽ, tum propter vtilitatem prętiantiſſimam nouimus, totis animi votis, quemadmodum præſcripſimus, eam veram & Chriſtianam amplectamur, exoſculemur, & excolamus. Quid enim virtute honeſtius? quid vtilius? quid iucundius? quid deniq; magis neceſſarium? Si eruditio ſola (quanquam ſine virtute vix poſſit conſiſtere) promouere ſolet hominem ad amplos honores, ad amplas diuitias, ad ampla commoda & voluptates, quantò excellentior eſt virtus, quę non modò hæc temporaria, & corruptioni obnoxia, ſed etiam immortalem largitur gloriam, immarceſſibiles diuitias & fœlicitatem cœleſtem: cum qua omnium tandem bonorum aggregationẽ perfectam conſequemur, ſine qua Dei opt. max. & omnis tandem beatitudinis expertes erimus. Et quis eſt, niſi prorſus inſanæ mẽtis, qui rem quamlibet vera honeſtate & vtilitate inſignem mortalibus amplectendam non iudicet: cum pariter omnes, qui lumine rationis præditi ſumus, naturæ quodam impetu ad fœlicitatem rapiamur? Hęc ſuccurrebant, mi Petre, quæ in genere tibi didactico adeoque dialectico vti poſtulaueras de themate ſimplici, nempe virtute, quod nos quoq; compoſitum fecimus, dum virtutem amplectendam ſyllogiſmo oſtendimus, ſcribere debui. Cura vt valeas.

Propoſitio vel complectio.

Ab Honeſto & vtili.

Maior.

Secundum hanc explicandi thematis formam poterit

poterit quisq; vel prolixiùs vel breuiùs aliud quodcunque quale sit thema, secundum locos dialecticos tum in Epistolis, tum in orationibus explicare.

De Epistola Indicatiua.

CVm plures Epistolæ familiares scribũtur, quę sub nullo prædictarum causarum genere per omnia comprehẽduntur, aut in quibus eorum artificiũ secundũ partes & locos proprios non vsurpatur. Vt sunt quibus alterius felicitati simpliciter gratulamur quibus gratias agimus, quibus aliquid curandum mandamus, quib. rem gestam vel bene vel malè collocatam declaramus, quib. læta, quibus tristia significamus, quibus de rebus quibuslibet scisscitamur, & id genº aliæ, quas omnes vnico vocabulo Indicatiuas appellare possumus. In quibus certas designare partes stultissimum est. Nam ex abrupto sæpè principio mira quadam festiuitate ordimur, & sine propositione præter iocos & sales nihil tractamus. Et sæpe licet simpliciter seria proponamus, sine confirmatione tamẽ argumẽta absoluimus. Quid enim (sit exẽpli causa dicamus) amico persuadere necesse est argumentis, quod nouimus eum sponte seu libenter executurum? Inter has quoque nonnullę simplices sunt, vnicum videlicet nẽgotium indicantes, nonnullæ compositæ seu mixtæ, diuersas rerum materias ex ordine recensentes seu tractantes. Si quis igitur (id quod creberrimè fieri solet) Epistolam indicatiuã

Compoſitam ſeu mixtam de rebus diuerſis ſcribere voluerit: quanquam omnia, quæ in buccam veniunt ordine duntaxat naturæ ſeruato, ſcribere poteſt, nec multis præceptionibus opus eſt, non parum tamen lucis adfert legenti, & decorem addit ſermoni, ſi ſecundum quòd naturalis ordo à loco, à tempore, à rebus, à perſonis, cæteriſque circumſtantijs commonſtrat, ſeorſum publica, ſeorſum priuata, ſeorſum proſpera, ſeorſum aduerſa, ſeorſum prophana, ſeorſum geſta, ſeorſum gerenda iudicentur, & ita de reliquis diuerſarũ rerum generibus, ne res aut prorſus inter ſe contrariæ, aut (vt vocant) diſparatæ indiſcriminatim nulloque adhibito vulgaris ordinis iudicio confundantur. Inter hæc quoque ſtudendum eſt, vt diuerſi generis narratiunculæ aptis tranſiunculis quaſi quibuſdam anſulis connectantur, ne perinde atq; (vt dici ſolet) ſcopæ diſſolutæ legentibus ingratæ ſint. Sint præterea breues, planæ & dilucidæ. Prolixitas enim & obſcuritas, vt vbique, ſic in his maximè narratiunculis vitioſa, & lectori reliqua legẽdi cupido inſuauis & ingrata eſt.

Paradeigma Indicatiuæ compoſitæ.

NEſcio quæ te modò ſcribendi libido inceſſit, vt qui hactenus nec ad dandum, nec ad accipiendum literas fueris propenſus, iam quaſi nouo quodã literario furore raptus de rerum noſtrarum ſtatu literas exigis, vt de rerum veſtrarum ſtatu

literas

literas reddas. Vtrinq; voto tuo satisfiet. Nam & ego scribam, vt tibi quoq; scribendi ansam porrigam. Primumq; tibi quod primum postulas, proprium rerumq; domesticarũ statum breuibus exponam. Ex eo tempore, quo dudum tibi coram in nundinis Antuerpianis loquebar, hectica me febris inuasit, & quamuis non admodum violenta esset, sensim tamen ita corpus meum perpetua hac hyeme non modò attriuit, verumetiam arrosit, vt vix ossibus cutis adhæserit. Vbi autem iam tandem paululum conualui, viresque resumpsi, vxor mea ex puerperio morbum contraxit adeò molestũ, mi Gualtere, & periculosum, vt quid de salute eius mihi & liberis promittam, planè nesciam. Filius natu maior, quem hactenus sacerdotio enutriui, posthabitis literis non absq; nostro dolore militiam amplectitur. Virgo iam nubilis, quàm tu è sacro fonte leuasti, virginum relicto monasterio domum redijt, & nuptias postulat. Reliqua familia aut ægritudine, aut mœrore afficitur. Quid dicam? Domus penè tota tum propter hæc varia infortunia, tum propter rem bellicam, tum propter quæstum exiguum destituta est. En tibi rei nostræ priuatæ statum non admodum fœlicem, nunc audi de statu publico. Senatus noster tametsi bellis vndique quatitur, rempublicam prudentissimè administrat, ipsique cum plebe tanta est concordia, vt in tanto discrimine & turbulentia rerum maior esse non possit: præterq; annonæ

Res priuata.

Respublica profana.

caritatem & quæſtum exiguum nihil quærimus.

Sacra. Paucis profana perſtrinxi, paucis & ſacra attingam ne epiſtolæ quæraris prolixitatem. Quinque Traiectenſis eccleſiæ celeberrima collegia in perpetuo, vt hactenus Dei cultu ſummoque omnium honore perſeuerant, pancraticè agunt, cunctiſque ſuis æmulis ſuperiores euadunt. Porrò reliqui tum ſacerdotes, quos vocant ſeculares, tum monachi, tum monachæ ſeu ſacræ virgines ſic viuunt, vt pro noſtrorum temporum ratione irreprehẽſibiles videantur.

Res ſcholaſtica. Et ne præteream iuuentutem ſcholaſticam rebus partim eccleſiaſticis, partim profanis deſtinatam, ipſa mehercle pulcherrimè viget, in Græciſq; literis pariter & Latinis proſa & carmine rectiſſimè inſtituitur, atq; in tanto rerum bellicarum tumultu, imò inter ipſos armatorum gladios & haſtas ampliſſimè promouetur.

Res bellica. Venio ad ipſam, cuius ſubinde memini rem bellicam, quam prôh dolor (ſic viſum eſt ſuperis) cum Republica optimè inſtituta inęqualiter hac noſtra tempeſtate currere oportet. Comparantur vtrinque grauis armaturæ equites, confluunt & leuis armaturæ ſine numero gregarij milites, corraditur vndique ex Brabantis, Hollandis, Geldris, Cliuijs, nempe belli neruus immenſa pecunia: parantur machinæ, tenduntur inſidiæ, acuuntur bipennes, lanceæ frameæ, aptantur arcus, baliſtæ, pharetræ, puluereq; ſuo ſtygio farciuntur tormenta: & (vt ſemel dicam) nihil omittitur, quod hoſtibus vtrinque expugnandis

pugnandis vsui fore putatur. Tantus auditur quotidiè armorum fragor, bombardum tonitrus, tubarum clangor, tympanorum strepitus, æquorum hinnitus, militum clamor, vt æthera & aëra dissilire credas. Quid inter hæc nobis animi, quid fiduciæ, quid spei non facilè dixero. Sunt siquidē quibus hęc bella placent, sunt contrà quibus maximè displicent, in vno Domino Deo suo fiduciam habentes, & ab eo solo rerum tranquillitatē sperantes. Audisti Martis horrorem, iam quis fructus sequatur, aduerte, quanquam & eum sine calamo quisque per se facilè expēdere potest. Exuruntur *Mala belli.* ædes, spoliantur templa, agri vastantur, pecudes abiguntur, viri capiuntur, vxores cum liberis desolantur, virgines constuprantur, & nihil pudendi sceleris non impunè cōmittitur. Et inter hæc conniuere principes videntur, & nihil dolere super contritione Ioseph (vt habet scriptura) & oppressione innocentum, quorum simul cum lachrymis clamor in aures Domini Sabaoth perpetuò stre- *Specialia.* pit. At ne tragœdiam texere videar à publico belli tumultu, generalibusque patriæ negotijs ad priuata & specialia transibo. Germanus consobrinus meus tui amantissimus, vxoris suę fœlici partu gemina prole ditatus est, & honestam fœminam, quàm hactenus licet infœcundam, charam habuit, nunc charissimè amplectitur. Frater eius minor pudicam, venustam, ampliss imeq; dotatam, nempe patrui tui Gulielmi filiam nudius tertius duxit

vxorem Iohannes noſter cognomẽto λευκὸς quãquam minimè cãdidus, qui fœlicibus vtriuſq; noſtrum ſtudijs inuidere conſueuit, patruumq; tuum quantumuis ſenem plurimum diuexauit, eodem (ni fallor) veſpere repentino fato extinctus eſt. Nec tamen hęc nũcio, quod de aduerſarij interitu gaudeam aut tibi gaudendum velim: ſed vt conſideres, quàm pernitioſus vt huor, & quòd non tam alijs quàm ſibi noceat tabeſcens inuidia. Hæc potiſſimum ſuccurrebant ad te pro temporis ratione ſcribenda, cùm mihi veſtratia depinxeris (ne nunc Epiſtola modum excedat) plura reſciſſes. Sed heus tu, dum hæc ſcriberem, vltimumq; tibi vale dicturus eſſem lætus rumor in ædibus ſpargitur. Rogo quis ſit. Ferunt certis acceptis literis Carolum Quintum Imperatorem Romanum proſpero nauigio veniſſe in Italiam, & propediem patrios ſuos fines inuiſurum. Faxit Deus. Vale.

Paradeigma Indicatiuæ ſimplicis.

SAlue. Sciſcitaris, mi Thoma, de caritate annonæ, quòd eam maximam propter bella cum Sicãbris in ciuitate noſtra totaq; diœceſi ſuſpicaris. Certè neq; maxima, neq; minima eſt, ſed pro hoc rerum ſtatu ſatis moderata. Nam tritici modius (vt vocant) menſuræ noſtræ vænit duobus Philippeis, Silignis duobus Carolinis, Hordei vno Carolino, hauenæ quindecim ſeſtertijs, Congius vini Rhenani menſuræ noſtræ quatuor ſeſtertijs. Heſperij

sperij seu Hispanici quod Romanicum vocãt tribus. Cæterum lac, butyrum, caseus, oleum, pisces, carnes, sal, ignium fomẽta, & reliqua omnia, quib. natura sustentatur solitum præcium non excedunt quorũ omniũ tamen hostes nostros penuria laborare, si frumẽtum demas & vinũ, certo certius est: nempe quib. ipsa ex his & vicinis regionibus suppeditare consueuerunt. Faxit misericors Deus vt facta concordia principum, sua nobis illi, & nostra nos illis mutuò suppeditare possimus: nam mutuo cõmercio cõmodè diu carere non possumus. Vale, & vos, quibus minor hostiũ timor & rarior incursus, nulla molestia militum, & nulla rerũ turbatio, quanti hæc singula væneant, rescribe.

Aliud Paradeigma.

NOn possum mi Florenti, quin rebus tuis vltrò inseruire studeam. Paruus (prôh dolor) vnà cũ cõiuge hesterno die sub ipso noctis crepusculo pleuritide interierunt, crastino die nõ sine põpa funerali more nostratiũ sepeliendi. Non solũ igitur pie, sed etiã prudẽter feceris, si omnibus posthabitis celeriter per noctẽ te huc confers, & exequijs funeralibus adsis: vt non modò honori tuo pro nostratum consuetudine satisfacias, verumetiam vtilitatibus tuis, tẽpori, consulas. Nam cùm intestatus (vt vocant) & sine liberis obierit, ædesque amplissimas, suppellectilẽ variam, agros multos, ingentẽq; pecuniæ vim dereliquerit, vide ne bona, quæ tibi iure debẽtur hæreditario, per alienos

(vt fieri passim videmus) executores distrahantur, dissipentur, diripiantur. Vale.

Aliud breuius.

DOleo profectò ex animo, mi Bonifaci, horreum tuum nudius tertius, in quod frumentum satis copiosum ex agro congesseras, hostilibus flammis (modò vera sit fama) tuo maximo damno interijsse. Quis enim si amici casum seu damnum resciscat, nisi prorsus, ἀφιλάνθρωπος sit & ἄσοργος, ex animo non doleat? quod amicorum omnia, tum prospera, tum aduersa meritò debeant esse cõmunia. Contrà, tibi non minus ex animo gratulor, super nuncia, quæ lætus adfero: Nauis tua oneraria, quam ante brumam ad Sarmatas direxeras, omnibus bonis, quæ Sarmatia ad nos mittere consueuit, onusta, eodẽ die, quo damnũ feciſſe diceris, Amstelrodamũ prosperè aduecta est, vnde ni fallor, plus decuplo lucri recipies, quam in horreo, exusto iacturæ feceris. Prudenter itaq; sopito dolore præteritorum malorum lætus huc venies, & vt res postulabit, merces tuas aut distrahes, aut in tẽpus magis oportunum vel apud me, vel alĩ quẽlibet, prout placebit, depones. Vale.

Aliud breuissimum.

CVm primum, mi Gerarde, has literas nostras legeris, mox citra dilationem conducto curru huc aduola: est enim apud nos, quod maximè tua interesse videbis, & gaudebis: quod adijcere nolui, ne cuius rei malæ nascatur tibi supicio. Nos enim

enim & filius tuus salui sumus. Vale.

A simili.

SAlue. Miraris amice quòd nõ scripserim, mirari desine, iam scribo, & si placet laconicῶς laconico responde. Vale. Raptissimè ex Traiecto.

Aliud.

NÆtu bellus es homo, quem cùm præ chartæ amplitudine amplissima scripsisse putarem, reuera (vt inquis) λακονικῶς scripsisse deprehendo: λακωνισμῶ quoq; tuo λακονικωτέρως profecto responderem, nisi quidquam tibi seriò indicandum esset, quod citra λακωνισμὸν tibi scriptum multò maximè cupias. Fama nẽpe celeberrima nostratibus diuulgatur, quod cum omni Geldrensium magistratu generosum Cliuorum Ducem inuictissimus Romanorum Imperator & semper Augustus Carolus Quintus clementissimè recepit in gratiam. Faxit Deus (id quod nunc maximè futurum speramus) ad perpetuam sit finitimarũ prouinciarum pacem. Vale ex Antuerpia.

Prioris partis Finis.

POSTERIOR PARS DE *Dispositione & Elocutione.*

DIximus in principio tria, quędam esse præcipua capita, quæ non modò ad orationẽ rhe-

toricam, verumetiam ad artificium Epistolicum necessaria sunt, Inuentionem videlicet, Dispositionem & Elocutionem. Hactenus autem de inuentione secundum diuersa causarum genera, per diuersarum Epistolarum locos varijs subiectis exẽplis disputatum est. Postulat igitur ordinis ratio, vt de dispositione (licet eã in superiori parte exẽplis satis ostenderimus) prout hæc nostra rudimẽta postulant, adhuc pauca loquamur, inde paulò latius de elocutione locuturi.

Dispositio triplex.

EST itaque Dispositio commodus eorum, quæ ex singulorũ generum locis per inuentionem collecta sunt, tum verborum, tum rerum ordo, ad orationis perspicuitatem non parùm conducens. Omisso autem verborum ordine, qui (quod aiunt) ad vnguẽ hoc est, ad plenum præceptis tradi non potest, sed penè sola doctissimè loquẽtium & scribentium sagaci obseruatione apprehenditur, rerũ duntaxat ordinem prosequamur.

Triplicem ponunt rhetores dispositionem, Partium videlicet orationis, Locorũ & Argumentorũ, præcipuè eorũ quæ ex locis Cõfirmationis & Cõfutationis ad probãdũ vel improbandũ sumuntur. Ordo seu dispositio partiũ fermè manebit idẽ qui secundũ naturã singulis generibus præscriptus est: vt videlicet ab exordio sequatur Narratio, si necessaria sit, deinde Propositio: post sequetur Confirmatio, cui subiuncta sit vel interiecta Confutatio,

tio. Pars nouiſſima ſemper Peroratio. Contingit tamẽ nonnunquam non ſine rhetorico artificio,tũ in orationibus,tũ in Epiſtolis, hanc partiũ diſpoſitionẽ data opera confundi, vt videlicet pars Cõfutationis præcedat Confirmationem,ſeu alia natura poſterior præcedentẽ,de quo nõ eſt huius loci diſputare.At quia ſingulis fermè Epiſtolarum generibus peculiares quaſdam partes, minimè tamen à rhetoricis alienas aſſignauimus, etiam in illis præſcriptũ ordinem obſeruari conuenit, niſi quod pro libertate Epiſtolica aliquas inter eas nonnunquam transferrimus,id quod etiam ſubinde in præceptis ſuperioribus indicaui. Diſpoſitio quoq; locorum ipſam naturã ſequatur,aut illum ordinem qui pro ſingulis orationis partibus eis præſcriptus eſt. Natura ſiquidem pueritia præcedit Adoleſcentiam: Honeſtum, Vtile, Voluntas,Facultatem & ſic de reliquis quanquam & hic libertas Epiſtolica non magnoperè curat,vtrum prius ductum ſit argumentum ab honeſto,an ab vtili vel delectabili.

Diſpoſitio verò Argumẽtorum eum præcipuè inueſtiget ordinẽ, qui maximè in concionibus auditoris,& in Epiſtola lectoris animũ flectere poſſe putabimur. Id quod potiſſimum fiet,ſi primo loco & itẽ nouiſſimo ponãtur argumẽtationes firmiſſimæ & irrefutabiles:media autem ſi quæ ſint minus probabiles occupent, quod ad primas probationes & nouiſſimas lectoris & auditoris animus maximè ſolet eſſe attentus. Si quis tamen à lãgui-

dis primùm argumentis incipiens sensim seu gradatim cum exaggeratione ad validiora consurgat, vt scilicet validissima finem contentionis occupēt, meo quidem iudicio non ludet operam.

Postulant & exempla, quorum si appositè adhibeantur, non tantùm in orationibus generis deliberatiui, verumetiam in Epistolis pulcherrimis est vsus: suum concinnum ordinem, nempe vt primo loco extranea, deinde nostratia, & ex his primo aliena, deinde peculiaria & domestica ponantur. Vt exhortaturus quemlibet ad studium & laborem literarium, primum ponas exempla Græcorum Philosophorum, ostendens quantis laboribus, ærumnis, calamitatibus Philosophiam apprehenderint, deinde Romanos seu Latinos, Ciceronem, Virgilium, alioscq; complures, ostendens nihil non pro eruditione consequenda tentauisse, aut aggressos esse: deinde si is quem extimulare niteris, vel patruum habuerit, vel auum, vel nepotē, vel fratrem, vel patrem, qui cum laude non sine labore docti euaserunt. Item si familiarem, amicum, æmulum, &c. Et hæc de dispositione.

De Elocutione.

CVm omnis non solū aptè dicendi, sed etiam doctè scribēdi studiosus (vt in primis dictum est) ad hoc niti debeat, vt doceat, quod necessitatis est: vt delectet, quod suauitatis est: vt flectat, quod victoriæ est, & de ratione docendi hactenus fermè disputatum sit, restat & delectandi & flectendi

ctendi ratione, quæ in elocutione præcipuè consistit, paucis ostendere. Est igitur Elocutio (vt ad Herennium scribitur) idoneorum verborũ & sententiarum ad inuentionem acommodatio: qua videlicet sub prima artis parte res inuentas verbis efferrimus congruis, hoc est, Latinis, proprijs, puris, minimeq; duris, sordidis vel obsoletis, & quorũ compositio, vt ait quidam, æquabilis, gratiosa, facilis, minimeq; per concursum vocalium hiulca, aut per illusionem seu immoderatum concursum vel literæ, r, aspera sit: vel literæ, m, obtusa sit: vel literæ, s, sibilans vel blesa sit. Qua sententiæ dilucidæ, solidæ, & minimæ triuiales sint, sed vel iusta Latini sermonis & propria phrasi, vel honesta figuratione venustæ & elegantes sint. Quanquam enim simplicitas & proprietas tum verborum, tum sententiarum maximam, adeoq; præcipuam adfert orationi venustatem, non parum tamen lucis & ornamenti superinducunt vel adducunt ei Tropi & Schemata, si per ea fuerit moderatè pro dicendi ratione variegata.

Triplex Character, seu dicendi ratio.

EST siquidem triplex dicendi pariter & scribendi ratio, id quod etiam obiter in primæ partis principio diximus, quam alij χαρακτῆρα, hoc est, stylum vel genus dicendi vocant. Primum dicẽdi genus Sublime dicitur, quo Heroica, Tragica, & Orationes rhetorum multiplici figurarum ornamento vt plurimum texi consueuerunt. Secundũ

est Mediocrè, quo historias præcipuè, & secundũ eas, interim orationes, declamationes, commentarios, & epistolas aliquando scribere consueuimus, paulum suprà tritam loquendi rationem moderatius assurgentes. Tertium est Humile, familiare, & comicum, quo præcipuè epistolas scribimus, & commentarios, in quibus oratio ad ampullosas figuras non assurgit, sed humi penè serpere videtur. Habet tamen & ipsum suam elegantiã, & nec tropos, nec schemata familiariter loquendi secludit. Studendum est igitur primum omniũ proprietati & simplicitati orationis, quod corpus vocant: deinde quibus tum tropis, tum schematis tãquam ornamentis vestiri queat, obseruandum.

Quid Figura, & quotuplex.

FIgura est quouis modo cũ laude nouata loquẽdi vel scribendi ratio. Hoc modo docẽdi gratia placuit hic finire figurã vt reiectis vitiosis loquendi vel scribendi nouitatibus, generali vocabulo sub se cõprehendat omnes, cũ constructiones, tum locutionis figuras, & inter has Tropos & schemata, & inter hæc quædã λέξεως, hoc est, quę ad dictionem, quædam διανοίας, hoc est, quæ ad sententiam pertinent. Porro figuras Grammaticas (quas μεταπλάσμῶ species vocant) Prosthesin, Aphæresin, Epenthesin, Syncopẽ, Paragogen, Apocopẽ, Systolẽ, Didastolẽ, intactas relinquo quod videlicet ad rem præsentẽ non attinent, sed magis ad institutionem poëticam, de quibus tum in Institutionibus gramma-

grammatices, tum in Prosodia nostra satis dictũ cẽseo. Omitto nihilominꝰ Syntaxeos figuras, Syllepsin, Prolepsin, Zeugma, Synthesin, Antiptosin, Synecdochen, & similes, in Syntaxi nostra tractatas. Loquar tantum de ijs, quæ ad orationis rhetoricæ ornamentum, argumentum, & amplificationem accommodari possunt, exactũ tamen iudicium aliorum commentarijs relicturus. Quod autem ad hanc rem nostram prẽsertim epistolicã attinet, tres figurarum ordines pro Elocutionis charactere seu stylo picturando breuibus exponam. Primus ordo complectitur schemata, quæ reddat duntaxat orationem iucundam, splẽdidam & perspicuam nihil corpori orationis adijcientes: & λέξεως figuræ dicuntur, quòd vnica dictione seu vocabulo figuretur oratio. Secundus ordo illa continebit schemata: quæ orationẽ tametsi non augent præter ornamentũ, tamẽ addunt etiã acrimoniam, grauitatem & vehemẽtiam. Hęc cum ijs, quæ tertij ordinis sunt, διανοίας figuræ dicuntur. Tertius ea complectetur schemata, quę vel orationem augent, vel causam amplificant. Porro augetur oratio dum extenditur & amplificatur, id quod amplius, grauius, vel vehementius, quàm apparet, esse ostenditur. Hos tres ordines quàm potero breuissimè digeram, & exemplis illustrabo. Sicubi quoq; Gręca occurrerint ex Diuo Paulo adijciam, siue ille (vt nonnulli volunt) artificio Rhetorico in nonnullis Epistolis studuerit, siue (vt Augusti-

no placet) vltrò ſeſe ſcribenti eloquẽtia obtulerit.

Tropi ſpecies.

CVm tropus non tantùm per ſe ſeorſum verbis & ſententijs orationem illuſtret: ſed & per omnes fermè horum trium ordinum partes pulcherrimè ſe ſæpè diffundat, primo loco, priuſquã σχήματα aggrediar, ſpecies eius vulgariores velut obiter tangam, ab hoc maximè, quòd non parùm Tropi à Schematis differant. In tropis ſiquidem (τρέπω verto vel mitto) ſignificatio vel vocis, vel ſententiæ mutatur: in Schematis autem non ita: nam σχῆμα habitum, ornatũ, cultum, & eloquẽtiam ſonat, verbiſq; tum propriæ, tum impropriæ ſignificationis conſtat. Hinc eſt quod Schematis ſpecies Tropos admittant, Tropi verò ſine ſignificationis mutatione conſtare non poſſint: quorum licet aliqui ad dictiones ſeu voces: aliqui ad ſententias ſpectent, nos tamen eorum diſcrimini non magnopere ſtudebimus.

Tropi dictionis	Metaphora.	Metalepſis.	Metonymia.
	Catachreſis.	Hendiade.	
	Onomatopœia	Emphaſis cũ	
	Antonomaſia.	Liptote.	Synechdoche.
	Antiphraſis.	Chariẽtiſm°.	

Tropi ſententiarum.	Allegoria.	Parœmia.
	Ironia.	Hyperbole.
	Sarcaſmus.	Proſopopœia.
	Aſteiſmus.	Hypallage.
	Micteriſmus.	Parabola, &c.
	Aenigma.	

Tropi

Tropi Dictionis. Metaphora.

OFfert se primo loco propter frequētissimum suum vsum μεταφορὰ, hoc est, Translatio, qua veluti quibusdam flosculis, dum commodè adhibetur, oratio venustatur: cum videlicet vox aliqua transfertur ab ea re, cuius est propria, ad significandum rem aliam per quandam similitudinem, cui non est propria, vt cùm transfertur vox à rebus animatis ad inanimes, vt si quis dicat terram sitientem aut bibentem. Quemadmodum ad Heb. dicitur: γῆ πιοῦσα τὸν ὑετὸν, καὶ τίκτουσα βοτάνην. Aut contrà ab inanimi ad animatum, vt si quis dicat: iustum germinantem. Psalmistes, δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει. A rationali ad brutum aut insensibile, vt si dicamus: prata ridere. Et Virgilius de apibus canens: Magnanimosque duces, &c. Sic Esaias: εὐφράνθητι ἔρημος διψῶσα. Et Salomon secundum 70 χοιροχρύσιοι ἔθνος ἐκ ἰσχυρὸν. &c. Aut contrà, vt: Vlulate pastores. Hiero. ἕκαστος ἐπὶ τὴν γυναῖκα τὴν πλησίον αὐτοῦ ἐχεμέτιζον. A propinquo ad rem proximam, sicut ab anima ad corpus, vt: dolor pedum. & Paul. σωχαιρεῖ πάντα τὰ μέλη. Aut contrà frequentiùs, vt: stupor stupere, gustare, si ad animum referantur, vt: γεύσασθε καὶ ἴδετε ὅτι χρηστὸς, &c. His & multis alijs modis, tum nomina, tum verba à propria significatione ad proximam vel cognatam, non modò licitè, verumetiam sæpenumerò eleganter apud doctos scriptores transferuntur, quos præcipuè in huius

figuræ vsu imitari conuenit. Nec tamen in oratione solūta temerè licebit semper æmulari poetas, qui liberius pro sua licentia hoc interdum tropo, quàm oratores vtuntur.

2. Catachresis.

Proxima est Metaphorę καταχρησις, id est, abusio, cū vox vsurpatur ad significandū rem nō propriam, sed illi cognatam seu proximam, cui propria vox deest: vt si librum non pro arboris cortice, sed pro volumine literario accipiamus: si segetes dicamus lętas: sic pugnare, legere: sic lingua, sic gemma, & alia sexcēta. Ita quoq; Paulus ad Cor. λαλῶν γλώσσῃ οὐκ ἀνθρώποις λαλεῖ ἀλλὰ τῷ θεῷ. Porrò maximè affinis est Metaphorę Allegoria, sed eam, quia non tam ad tropos dictionis, quàm orationis attinet, paulò post tractabimus

3. Onomatopœia.

Nec absimilis est Ονοματοποιία, hoc est, Nominis fictio, qua rei, cui propria vox deest, non proximam sed fictam vt plurimum à sono tribuimus, vt, taratantara, bombarda, sibilare, balare, & similia. Sic βληχὴ μηκὴ κόαξ. Sic κλάγγω, κοκκύζω.

4. Antonomasia.

Additur Poëtis frequens Αντονομασία. Nominis permutatio, vt: Saturnia pro Iunone. Pelides pro Achille, Apostolus pro Paulo.

5. Antiphrasis.

Additur quoque Αντιφρασις, qua vox vna pro contraria ponitur, vt: bellum quod minimè bonum,

num sacrum pro execrando ἐνμένιδες furiæ, quod minimè mites.

6. Metalepsis.

Sic Μετάληψις, Transumptio etiam Poëtis frequens, qua gradatim ad aliud quiddam, quã verbo exprimimus, ostendendum procedimus, vt: Speluncis abdidit atris, hoc est, in præceps profundis.

7. Hendiadis.

Est quoque Poëtis familiaris ἑνδιάδις: aut vt alij ἑνδυᾶς: qua vnum vel duo substantiua copulata significamus, altero videlicet per adiectiuum exposito, vt: pateris libamus & auro, id est, aureis pateris. Sic: in spiritu mansuetudinis, pro spiritu mansueto secundum Hebræos.

8. Emphasis.

Εμφασις, seu Demonstratio familiaris omnibus scriptoribus, plus quiddam indicat, quam exprimitur, nempe latens quiddam, nunc per pronomen: nunc per substantiuum pro adiectiuo: nunc alijs varijs modis: vt scelus pro scelesto & insigniter scelerosо. Sic Paulus ad Corinth. τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, &c. Item: ἁμαρτολὸς ἁμαρτία.

Videtur quoq; λιτότης sub hac contineri, qua minus dicitur, & plus intelligitur, nisi sub Sinechdoche malis, vt: non odit me, id est, ex animo amat: Fit autem vt plurimum per verbum sententiæ contrarium cum negatione.

9. Metonymia.

Μετωνυμία quoq; (hoc est) Transnominatio familiaris admodum tropus est, cùm vel inuentorem ponimus pro re inuenta: aut numen aliquod pro eo, cui præest, vt: Cererem pro frumento, Venerem pro amore vel pulchritudine. Matt. Οὐ δυνασθε Θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ. Vel continens pro contento, vt poculum pro vino, vt & Paul. ad Cor. ὃς ἂν πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ Κυρίου ἀναξίως. Sic domus pro inhabitãtibus aut familia, aut re familiari. Luc. κατεσθίουσι τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν: Vel possessorem pro re possessa: vt: Deucalion ardens, ad Corinth. Εἴ τις ὑμᾶς καταθσθίει Vel cùm effectum tribuimus efficienti, vt: pallida mors, quòd membra efficiat pallida. Sic cùm authorem pro opere ponimus, vt si dicamus: in Paulo facilè omnes rhetorum figuras & ornamenta deprehendimus, hoc est, in Epistolis Paulinis. Sic Moses pro lege.

10. Synechdoche.

Non admodum dissimilis tropi species est Συνεκδοχὴ, id est, Intellectio seu comprehensio, cum videlicet intelligimus vel ex vno plura, vt: Cæsus Hannibal, pro milite forti. Vel ex parte totum, vt: puppis pro naui. Iohan. Καὶ ὁ λόγος, σὰρξ ἐγένετο.

Vel contra, ex toto partem, vt: post tres dies resurgam.

Vel ex specie genus, vt: Græcus pro Ethnico: vel contrà.

Vel ex materia materiatũ, vt: Ferrũ pro gladio:

Vel

Vel ex præcedentibus ſequentia, vt Virgineam ſoluit zonam, & alijs ſimilibus modis. Eſt enim Synechdoche, cum plus minuſue pronunciamus, quàm intelligimus.

11. Carientiſmus.

Poteſt quoq; frequentiùs videri Tropus dictionis Καριεντισμὸς, cum quæ dura ſunt, verbis gratioſis mitigamus: vt cum puerum pro ſeruo ponimus, & mortuum quieuiſſe dicimus. Matt. Παῖς μὴ βέβληται ἐν.

Addunt & Hetoroſin vel Enallagen, cum vel numerum pro numero, vel perſonam pro perſona ponimus, vt: miles pro militibus, &c. At ſub Synechdoche vel Metonymia comprehendi poteſt, quas cum alijs nonnullis inter tropos orationis ponemus, quod videlicet ſubinde dictiones, ſubinde orationes figurant.

Tropi ortionis.

1. Allegoria.

QVanquã Αλληγορία ſeu inuerſio fit perpetua quædã Metaphora, quòd ſingula eius verba per tranſlationem intelligantur, atq; ob id fortaſſis inter tropos dictionis ponenda videri poſſet, quia tamen eius cõplexio non ſingularem aliquam vocem, ſed totam orationem aut ſententiam figurat, in hunc eam poſteriorum temporũ ordinem relegaui. Eſt autem Allegoria tropus quidem orationis & ſententiæ pulcherrimus, quo aliud ſenſu, a-

liud verbis intelligimus: vt Ouidius de amore loquens Pyrami & Thysbes allegoricωs, sic canit: Quoque magis tegitur, tantò magis æstuat ignis, Sic ad Cor. Μικρα ζάμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμεῖ. Hæc orationem non tantùm illustrat, sed etiam eleganter extendit, frequens tũ in sacris tum in profanis literis. Volunt nonnulli sequentes eius esse species.

2. Ironia.

Εἰρωνεία (Dissimulationem vertunt) est dissimulata illusio, quæ videlicet non ex verbis (plerunq; enim contraria sunt) sed vel ex modo pronũciandi, vel ex persona loquentis, vel ex ipsa rei natura intelligitur, vt: Id populus curat scilicet, apud Comicum: per scilicet, autem, videlicet, similesq; particulas commodè fieri cõsueuit. Corinth. χαρίσασθε μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην.

3. Sarcasmus.

Adsimilis est superiori Σαρκασμὸς, Exacerbatio seu irrisio amarulenta, cùm victor victo vel hosti insultat, vt: I nunc & verbis virtutem illude superbis. Sic Luc. Ἄλλους ἔσωσε, σωσατο ἑαυτον, & reliqua.

4. Asteismos.

Huc quoq; pertinet Ἀστειμὸς Vrbanitas, quę est vrbana dictio, & iocus cũ astutia festiuus, quales sunt sales & dicacitates disertorum: vt illud Maronis: Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui. Et Paulus in actis: Οὐχ ἥδειν ἀδελφοι, ὁ τί ἦν ἀρχιερεύς, γέγραπται γὰρ ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐκ

ἐρεις

ἔχεις κακῶς, secundum quosdam.

5. Micterismus. 6. Aenigma.

Possent addi Μικτηρισμος, cùm naso quempiam in scommate quouis suspēdimus & Αἴνιγμα cum dictū obscurū, coniecturis indagandum proponimus, vt: Dimidium plus toto, apud Hesiodum, & Samsonicū illud: Ἐκ τοῦ ἐσθοντος ἐξῆλθε βρῶσις, καὶ ἐξ ἰσχύρου ἐξελθε γλυκυ, similiaque scriptorum rara problemata, sed quia ad rem nostram nō admodū conducunt, sobriè tractanda iudicauimus.

7. Paroemia.

Quanquā non omne adagium seu vulgi Prouerbium tropicum est, deprehenduntur tamen innumera à sono verborum significatu tam aliena seu diuersa: vt proximè ad Aenigma accedere videantur, & si oportunè tū Epistolis, tū familiarib. colloquijs accōmodētur, & citra nimiā affectationē inferantur, nō parū venustatis & iucūditatis adferūt. Est igitur Παροιμία seu Adagiū dictū celebre & vulgo tritū, aliqua nouitate insigne, vt: Lupum auribus tenere dicitur, qui negotium susceptum neq; tutò relinquere, neque tolerare potest. Sic ad Paulum in Actis. Σκληρὸν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν.

8. Hyperbole.

Vsui quoq; frequenter ὑπερβολη est, nos Excessum interpretari possumus. Nā quod secūdū figuram hanc dicimus, fidē manifestè exuperare debet. Est enim (vt inquit Quintilianus) dementiens superiectio, vel amplificandi gratia, vt: Aquilis velo-

ciores, leonibus fortiores: aut minuēdi, vt: testudine tardior. Colossensib. scribit Paul. de Euangelio: Παρόντος εἰς ὑμᾶς, καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ.

9. Prosopopœia.

Addunt ferè omnes Tropis προσωποποιΐαν, qua Personā fingimus, quæ persona non est: cùm videlicet res mutas loquētes inducimus, aut ad eas tanquam ratione vtentes sermonem dirigimus: vt amantes apud Ouidium, Inuide (dicebant) paries, quid amantibus obstas? Et ad Cor. Πού σου θάνατε τὸ κέντρον· πά σόν ᾅδη τὸ νῖκος: Eundem quoque volunt tropū, cùm hominem vel absentē vel mortuū fingimus loquentē, vel ad eū sermonē dirigimus, vt: dic Hieremia testimonium de Christo August.

10. Hypallage.

Ὑπαλλαγὴ Submutatio vel subalternatio fit, cùm oratio contrario rerum ordine effertur: vt cum res agens fit patiens, aut contrà, vt, Dare classibus austros. Figura Poetica est. Restant adhuc præcipui duo tropi, quorundam iudicio, Parabola & Paradeigma, sed quia in eis propria vocum significatio nō mutatur, nos ad Schemata διανοίας transtulimus.

Hæc seorsim de Tropi varij speciebus tradidi, in quibus omnibus aliud quidem verbis dicitur, aut dici videtur, & aliud re vera significatur, ex quibus multi frequentibus diuersorum ordinum figuris inseruire possunt: vt sint vel hi schematum, vel schemata horum ornamenta.

Sche-

Schematum primus ordo.

Figura Lexeως	Syllepsis.	Epizeuxis.
	Prolepsis.	Tautologia.
	Zeugma.	Polysyndeton.
	Epizeuxis.	Asyndeton.
	Anaphora cũ speciebus 8.	Homœoptoton.
		Homœoteleuton.
	Epanaphora.	Paranomasia.
	Epiphora.	Antanaclasis.
	Ploce.	Parachesis.
	Symploce.	Anastrophe.
	Epanalepsis.	Irmos.
	Anadiplosis.	Schesis onomaton.

PRimum Figurarum ordinem suprà diximus eorum esse Schematum quæ ad dictiones magis quàm ad sententias attinent, & orationem iucundam, splendidam, & perspicuam reddunt: quãquam subinde etiam nonnullæ earum non secùs ac illæ, quæ secundi ordinis sunt, vehementiam quandam addunt, & acrimoniam.

1. Syllepsis.

Occurrit primo loco ζύλληψις Conceptio, qua duabus rebus & sententijs diuersis vnũ duntaxat datur verbum, vtriq; minimè conueniens, vt: His quidem signis atq; hæc exempla secuti. Alij simile loquendi genus Zeugma imperfectũ dicũt, quod videlicet verbum vni conueniens, ad alterum cõmodè reduci non possit. Voluntq; in hac vel simili loquendi ratione Syllepsin e[illegible]locutionis: Romu-

lus & Remus Romanam vrbem condiderunt. Aut Petrus cum Paulo Romæ passi sunt. Et Ouidius, Cum plausu clamor littora impleuêre.

2. Prolepsis.

Πρόληψις, Præsumpsio, vt Reges dimicant, alij pro gloria, alij pro patriæ salute, quia cum Epanodo tertij ordinis fermè conuenire videtur, hic negligentius tractatur.

3. Zeugma.

Ζεῦγμα, Copulatio seu Coniugatio. Cum videlicet diuersas clausulas vno verbo copulamus, hoc pacto: Verbo præposito: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Verbo in medio posito: Pudorem libido vicit, timorem audacia, rationem amentia, &c.

Verbo in fine posito: Pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia vicit.

4. Hypozeuxis.

Primam Zeugmatis speciē vocant πρόζευγμα, secūdam μεσόζευγμα, tertiam ὑπόζευγμα. Ab hac autem tertia multum differt ὑπόζευξις, nam ei prorsus contraria est, cum videlicet singulis diuersarum rerum clausulis debitum verbum subnectitur, vt: AEdes exuruntur, templa spoliantur, agri vastantur, pecudes abiguntur, viri aut cæduntur, aut captiui abducuntur, vxores cum liberis profligantur, monasteria euertuntur, virgines constuprantur, & nihil non pudendi sceleris impunè committitur: Sic quoque Matt. τυφλοὶ ἀναβλέπουσι

καὶ κολοὶ περιπατῶσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούσι νεκροὶ, &c.

Anaphoræ species	Epanaphora,	Epanalepsis.
	Epiphora.	Anadiplosis.
	Ploce.	Epizeuxis.
	Symploce.	Tautalogia.

NOn minus iucunda, quàm frequens figura est Ἀναφορὰ, siue repetitio: qua eandem dictionẽ aliquoties repetimus. Hoc autem qua'diuersa ratione fieri consueuit, plures eius species numerantur, quas ex ordine recensebimꝰ & explicabimus.

5. Epanaphora.

Primùm per diuersarum clausularum principia eandem vocem repetimus, & Ἐπαναφορὰν vocant, vt: Hic gelidi fontes, hic mollia prata Licori: Hic nemus, hic ipso tecum consumerer æuo. Sic Paul. ad Corinth. Ἀνέχεσθε γὰρ, εἴ τις ὑμᾶς παραδουλοῖ, εἴ τις κατεσθίει εἴ τις λαμβάνει, εἴ τις ἐπαίρεται, &c. Sic quoque, multis alijs in locis. Nulla est enim apud Scriptores hac figura frequentior: redditq; subinde præter venustatem ipsam orationem vehementiorem.

6. Epiphora.

Secundò eadem voce diuersa periodi commata claudimus, & Ἐπιφορὰ Rutilio dicitur. Vt ad Cor. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus: sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: vt vertit interpres noster. Apud Paulum tamen Hypozeuxis est. Sic quoque in 2. ad Corinthios. Ἐβαπτίσθη

εἶσι, κἄγω, Ἰσραηλῖταί εἶσι κἄγω, σπέρμα Ἀβραάμ εἰσι κἄγω, &c. 7. Ploce.

Tertiò eandē vocem præcipuè proprij nominis geminamus, non tamen cōtinetur in vna clausula, ita vt posterius vocabulum ad mores priores referatur, Græcisque πλοκὴ dicitur, vt: Sed tandem ad illum vsq; diē Memmius erat Memmius, hoc est, sui similis & ijsdem moribus. Et per appellatiuum: Πίθηκος ὁ πίθηκος, κἂν χρυσᾶ εἰ χὴ σύμβολα.

8. Symploce.

Quartò eandē vocem vtrinq; hoc est, & in principio plurium clausularum, & in hoc ponimus, sic tamen, vt alia sit quæ in principio clausularum & alia quæ in fine earum repetitur, hoc pacto: Nutrit hæc castris odium dolumque, Nutrit hæc templis odium dolumque, Nutrit hæc claustris odium dolumq;, &c. Sic Paul. Cor. Εἴτε πάσχει ἓν μελος συμπάσχει πάντα τὰ μέλη εἴτε δοξάζεται ἓν μελος συγχάιρει πάντα τὰ μελη, & reliqua.

9. Epanalepsis.

Quintò vocem in principio positam, eandem in fine clausulæ repetimus, per Ἐπανάλεψιν, hoc est, Resumptionem, vt: Cognitum est te remp. venalem habuisse cognitū est: Sic verò Paulus: χαίρετε ἐν κυρίῳ πάντοτε, χὴ πάλιν ἐρῶ χαίρετε.

10. Anadiplosis.

Sextò vocē in clausulæ præcedentis fine positam in principio sequentis repetimus, per Ἀναδίπλωσιν seu Replicationem, vt: Sequitur pulcherri-

mus

mus Assur, Astur equo fidens. Et Paulus ad Cor. ὁ πείρων φειδόμενος .. φειδόμενος καὶ θερίσει καὶ ὁ σπείρων ἐπ' εὐλογίαις, ἐπ' εὐλογίαις, καὶ θερίσει.

Septimò in vna clausula continentur seu immediatè eandem vocē geminamus, affectū indicantes per Ἐπίζευξιν vel adnexionem: vt Virg. Me me adsū qui feci. Sic Lu. Μαρθα, Μαρθα τυρβάζῃ πολλὰ.

11. Tautologia.

Octauò proximè accedit ad Anaphorā Ταυτολογία, modo inter figuras numerare velimus, quæ vocem quamlibet in vna periodo diuerso casu aliquoties iteramus, vt si dicam: Literas ama, quò literarū doctus euadas: nam si abhorres à literis, literis studere non poteris. Vt Paulus ad Rom. Ἐξ αὐτῆ καὶ δι' αὐτῆ: καὶ εἰς αὐτὸν τα πάντα αὐτῶ, &c.

12. Polysyndeton.

Affinis quoq; Anaphoræ Πολυσύνδετον est cùm videlicet oratio multis coniunctionibus, vbi vna duntaxat necessaria sit, nectitur, alij à τίθημι πολυσύνδετον scribunt. Fit autem sæpenumero in singulis verbis, non rarò etiam per plura cōmata: vt Cic. Me præ cæteris & colit, & obseruat, & diligit. Item, Non ita fractus sum, vt aut hominem me esse oblitus sim, aut fortunæ succumbendū putem. Solet enim non modò per copulatiuas, verū etiā per disiunctiuas & alias eleganter fieri, & nonnunquā duobus, nonnunqnam pluribus vel membris vel cōmatis. Sic Paul. Græcus: πόσην κατεργάζατο ὑμῖν σπουδὴν, ἀλλὰ ἀπολογίαν, ἀλλὰ ἀγανάκλησιν, ἀλλὰ

φόβον, ἀλλ' ἐπί πόθησιν, &c. Item, ἢ πίθι ἢ ἄπιθι Fit Poëtis frequenter per enclyticas coniunctiones, vt: Athamasque Thoasque Neoptolemusque, &c. verùm extra carmen non vsurpandum.

13. Asyndeton.

Schema superiori cõtrariorũ: Ασύνδετον, hoc est, Inconiunctum dicitur. Rhetores nostri articu'um vocant: cum videlicet res diuersæ nullis coniunctionibus colligantur. Et vtimur eo quoque tum in verbis tum in clausulis componẽdis, vt, excessit, erupit, euasit. Ferte citi flammas, date tela, impellite remos. Et Cicero: Omnia me tua delectãt, sed maximè, maxima cùm fides in amicitia, consilium, grauitas, constantia, tum lepos, humanitas, literæ. Paul. Corinth. Νυνὶ δὲ μένει, πίστις, ἐλπὶς, ἀγαπὴ, τρία ταῦτα, & multa præcedentia.

14. Homœoptoton, & Homœoteleuton. 15.

Sunt & alia duo sibi cognata Schemata, quæ orationem subinde (si affectata non sint) cum gratia figurant, non eandem quidem vocem, sed vel similem casum, vel similẽ vocis finem repetentia. Ομοιόπτωτον, Ομοιοτέλευτον. Quorum prius clausulas simili casu: posterius simili ferè sono terminat, vt de priori. Sunt qui in rebus humanis potissimũ spectant honestatem: sunt qui quærunt vtilitatẽ: sunt qui captant duntaxat voluptatem. De posteriori, vt: Turpiter audes facere: nequiter studes dicere. Sic Paul. Οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλ' ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις. Et de secundo Cor. διὰ τὶ οὐχὶ μᾶλλον

μᾶλλον ἀδικεῖσθε διὰ τί ἔχι μᾶλλον ἀποστεῖσθε. Item ijsdem. Οὐδένα ἠδικήσαμεν, οὐδένα εὐθείραμεν, οὐδένα ἐπλεο νεκλήσαμεν, In quibus (vt obiter moneam) vides puer diuersas figuras concurrere.

16. Paranomasia. 17 Antanaclasis.

Rursus duæ figuræ sibi vicinæ sunt Παρανομασία, & Ἀντανάκλασις: quarum prior est, cum similitudine literarum eandem fermè vocem in contrariũ flectimus, vt Terentianum illud: Inceptio est amentium, non amantium. Aratorem magis, quam oratorem dixeris.

Posterior est vnius verbi simplicis, aut per compositionem repetiti, contraria significatio, vt si dicamus. Noli diligere mundum, in quo nihil est mundum: aut, Eas res cura, in quibus nulla est cura. Item non euerti hominem, sed conuerti. Impugnauerunt me, verùm non expugnauerunt. Sic Paulus. ὡς μηδὲν ἔχοντες· καὶ πάντα κατέχοντες: & alibi, ἀπορούμενοι, ἀλλα οὐκ ἐξαπορούμενοι.

18. Porrò in sequentibus & similibus vocũ allusionibus. Græci. Παρηχίαν seu παρήχησιν esse dicunt. τῷ τὸν φύρον, τὸν φορφορον· τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος· τῷ τὸν φόβον, τὸν φόβον· τῷ τὴν τιμὴν, τὴν τιμὴν. Et in eadẽ ad Rom. Epist. οὐκ ἔστιν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις, ἀλλα δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη.

19. Anastrophe. 20. Irmos & Schesis.

Addi potest Ἀναστροφὴ qua naturalis dictionum ordo inuertitur, vt: mecũ, tecum, secum, nobiscũ, vobiscum, quanquam compositè scribi & pronũ-

ciari debere videntur: item, qui cum, quibuscum, capulo tenus, & similia, præter quæ vix alia, citra poeticam licentiam sunt vsui.

Addunt & Εἰρμὸν Seriem, cùm oratio eodem filo seu tenore ad finem vsque clausulæ protenditur, vt: Principio cœlum ac terras campósque liquentes, Lucentque globum lunæ, &c. Similis est Σχέσις τῶν ὀνομάτων, cum pluribus substantiuis singula adduntur Epitheta, hoc modo, Marsa manus, peligna cohors, sestiua virûm vis.

Secundus ordo Schematum.

Ecphonesis.	Anacœnosis.
Epiphonema.	Synchoresis.
Erotema.	Dicæologia.
Pysma.	Apostrophe.
Hypophora.	Ellipsis.
Aporia.	Aposiopesis.
Paradoxon.	Pleonasmus.
Parrhesia.	Epitheton, &c. 10.

Adduntur Hysteronproteron, Chronographia, &c.

SEcundus ordo earum est figurarum, quæ orationem non modò iucundam & venustam, verum etiam (tametsi non augent) acrē & vehementem reddunt, quemadmodum & prius est dictum.

1. Ecphonesis.

Succurrit primùm Ἐκφώνησις vel Exclamatio, cum Erotemate nonnihil commune habens, qua ex

ex aliquo affectu vel admirationis, vel gaudij, vel indignationis, vel simili exclamamus, & id quod dicimus, reddimus vehementius, vt: O tempora, ô mores, &c. Heu me miserum. O curas hominũ, quantum est in rebus inane. Paulus quoq; Rom. Ω βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ, ὡς, &c. & iterum, ταλαίπωρος ἐγω ἄνθρωπος, τίς μὲ ῥύσεται ἐκ τοῦ, &c.

2. Epiphonema.

Exclamationi affine est Ἐπιφώνημα, id est, Acclamatio, qua fini propositæ, siue disputatæ materiæ acclamamus, vel accinimus: quod per tantum, adeò, vsque adeò, & similes quantitatis particulas fieri potissimum consueuit, vt Virgilius: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. & Ouid. Tantus dolor vrit amantes.

Interdum quoque accinimus rebus propositis, claudendo Epistolas, absque quantitatis particulis, vt si pater filium ad frugalitatem adhortatus, tandem concludat: Studebis itaque fili mi frugalitati, quod nisi rebus in omnibus temperantiam seruaueris, simul vitæ honestatem, morum integritatem, & veram salutem profligaueris. Etiam citra affectationem licet accinere singulis partibus, vt si quis insectatus ebrietatem, dicat. Cui placet ebrietas, placeat & insania. Sic Paulus Galat. Οὐκ ἀθετῶ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ, &c. & paulò post: Τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῆ; &c. Potest & tertij ordinis iudicari.

3. Erotema. 4, Pysma.

Sequitur non admodum à prædictis dissidens Ερώτημα, vel interrogatio, qua figura vehementer aliquid interrogando vel affirmamus, vel negamus, subinde quoq; diuersum affectum vel gaudij, vel admirationis, vel iræ, vel indignationis, vel alium similem exprimimus, vt: fuistine eo in loco? quasi dicamus, fuisti. Quis te virulentior? quasi dicamus, nullus. Virgilius: O quàm te memorem virgo? & alibi, Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes? Sic Paulus Rom. τί ἔχεις ὃ οὐκ ἔλαβες. & Galat. Ω ἀνόητοι γάλαται τίς ὑμας ἐβάσκανε, &c.

Si tamen orationem pluribus interrogantibus cũ acrimonia exaggeramus, πύσμα potiùs, quàm ἐρώτημα dici volunt, vt ad Corinth. Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος, οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος, οὐκ Ιησοῦν χριστὸν τὸν κύριον ἡμῶν ἑωρακα, &c.

5. Hypophora.

Quamuis ὑποφορά siue subiectio sub tertio ordine videatur ponenda, quòd orationem nonnihil augeat tamen alios imitatus placuit huic inserere. Fit autem Hypophora, cum ipsi nostræ interrogationi respondemus: est enim cognata Erotemati, vt Paulus ad Agrippam: Credis rex Agrippa prophetis? Scio quòd credis, & ad Rom. τί οὖν ἐροῦμεν ἐπιμενοῦμεν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ, Μὴ γένοιτο, &c. Sic alibi frequenter. De Antipophora, quæ ex hac suboriri videtur, in tertio ordine

dine dicemus.

6. Aporia.

Figurat præterea orationem & grauiorē reddit Απορία vel Dubitatio, cùm nos dubitare seu nescire fingimus quid vel acturi, vel dicturi, vel credituri sumus, vt: Quò me vertam? Ad Philip. Τί εἴρησομαι ὃ γνωρίζω. Et Cor. Τί ὑμῖν εἴπω: ἐπαινέσω ὑμᾶς. &c.

7. Paradoxon.

Cognatum est huic Παράδοξον, cū dicimus nos credere non potuisse aut suspicari quod narraturi sumus, & fieri solet, per admirationis, opinionis, aut similium affectuum verba, vt Vix potui induci, vt crederem Paul. Galat. Θαυμάζω ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσε. &c. Solet per verba mirandi frequenter esse vsui in Epistolarum exordijs.

8. Parrhesia.

Παῤῥησία quoq; oratoribus est vsui, qua velut nobis temerè authoritatem arrogātes liberius loquimur, Licentia Latinis dicitur, vt (quod ex Demost. citat Rutilius.) Sed ego liberam vocem veritatis apud vos omittam? Non inquā nec recitabo. quod salus cōmunis dicit. Ita Paul. Cor. Εν ᾧ δ' ἄν τις τολμα (ἐν ἀφρωσύνη λέγω) τολμῶ κᾷ γω' Et ad Galat ὥστε ἐχθρὸς ὑμῶν γεγονα ἀληθεύων ὑμῖν.

9. Anacœnosis.

Ανακοίνοσις est, cùm ipsi, vel cum aduersarijs, vel cum iudicibus communicamus. Communicatio siquidem interpretatur, vt: Cedo si vos eo

loco fuissetis, quid aliud feciſſetis? Et illud Comici: Tu si hic sis, aliter sentias. Et Paul. λεγετε μοι οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι τὸν νόμον, &c.

10. Synchoresis.

Accedit ad Communicationem, συγχώρησις Permissio vel Concessio: qua totam, aut nonnihil causſæ nostræ vel iudici, vel aduersario iudicare permittimus, vt: Hæc nobis iudices æstimando relinquo. Sic Lucas in Actis: Εἰ δίκαιον ἐστιν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ὑμῶν ἀκουειν μᾶλλον ἢ τοῦ θεοῦ κρίνατε.

11. Dicæologia.

Accedit quoque δικαιολογία siue expostulatio, qua iure nostro allegato, cum nomine quolibet amice expostulamus, & ostendimus nos præter æquum nihil admisisse, alium autem aut iniquum, aut ingratum extitisse, vt apud Esaiam: Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci ei? & reliqua. Item Ieremias: Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & reliqua, capite 2. Sic Paulus Corinthijs: Τί ἐστιν ὃ ἠπήθη τε ὑπὲρ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας, εἰμὴ ὅτι αὐτὸς ἐγὼ οὐ κατενάρκησα ὑμῶν.

Volunt præterea δικαιολογίαν (licet Αναγκαῖον appellẽt) tum dici, cum æquitatem seu iusti quiddã pro defensione nostra, aut necessitatẽ seu quãlibet aliam occasionẽ pro excusatione nostra causamur, vt: Lapsus sum, sed adolescens, & inter tales necessario versatus, inter quos non potui non corrumpi. Sic ad Corinthios Γέγονα ἄφρων καυχώμενος,

μενος ὑμεῖς με ἠναγκάσατε, &c. Valet in generis Iudicialis Statu Iudiciali absoluto & assumptiuo: magisque locus argumentandi videtur, seu argumentandi ratio, ad tertium ordinem secundum hunc postremum vsum relegando.

12. Apostrophe.

Αποστροφὴν siue auersionem dicunt, cùm auersi à priori orationis structura, vt plurimum sub tertia persona, ad aliquem seu aliquos inopinato per secundam personam conuertimur, vt illud Nasonis:

Mactatur vacca Mineruæ.

Alipedi vitulus, Taurus tibi summe Deorum.

Nonnunquam etiam ad aliud non mutata persona ἐνφρώνεσιν & προσοποιίαν conuertimur, vt: O leges Porciæ. Sic ad Philippenses: Συντύχην παρακαλῶ τὼ αὐτὸ φρονεῖν Κυρίῳ, καὶ ἐρωτῶ καὶ σε σύσυγε γνήσις, &c.

13. Elleipsis, & 14. Aposiopesis.

Ελλειψις, quam etiam nonnulli ἔκλειψιν vocant, & Ἀποσιώτησις figuræ sibi cognatę sunt. Nam prior est, cùm citra affectum verbum deest orationi absoluendæ, aut per sermonis interruptionem, vt sæpenumero in Comœdijs: aut studio propter facilem eius intellectum, vt: Italiam fata profugus Lauinaque venit Littora, & Galat. Μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκὶ.

Posterior, quam reticẽtiam interpretatur Cicero, reticet aut suspendit verbum propter affectum aliquem, nempe: gaudij, admirationis, timoris, iræ,

indignationis, aut similem alium non expressum, vt similiter illud Maronis: Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.

15. Pleonasmus.

Huic ferè contraria videtur figura Πλεονασμὸς, dum Emphasis gratia orationi verbum adijcitur, quod alioqui superfluum videretur, vt: Quæ (malum) est illa voluntaria seruitus?

16. Epitheton.

Ἐπίθετον vocant, quoties præcipuè proprio aliquid adijcitur: quod ei propriè conuenit, vt: At pius Aeneas per noctem plurima voluens: sic sæuus Hector. At aurum fuluum, liquidus aër, gelidus fons, & id genus infinita Poëtarum epitheta, extra carmen citra Emphasin, rarò sunt vsui. Sunt autem in Epistolis congrua magistratuum præcipuè epitheta eo modo obseruanda, quo suprà dictum est.

Addunt ὕστερον πρότερον, cùm id quod natura posterius est, prius dicimus, vt: Et torrere parant flammis, & frangere saxo. Addunt χρονογραφίαν, qua tempus describimus, τοπογραφίαν, qua locum describimus, τοποθεσίαν, qua locum fingimus. Item, Imprecationem, qua alicui bonum vel malum imprecamur: Obtestationem, qua per rem charam aut sacram aliquid petimus: Deuotionem, qua nos vel periculo, vel mori deuouemus: Comminationem, Exhortationem, Votum, & id genus alias phrases, quas si singulatim explicare velimus,

mus & figuris adnumerare, nullus foret scribendi finis. Cæterùm huiusmodi tam familiares & planę sunt, vt nullus non facilè eas obrutas agnoscat. Ad alias transeamus.

Tertius ordo Schematum.

Auxesis & Meiosis.	Congeries.
Peristasis.	Incrementum.
Hypotyposis.	Climax.
Pathopeia.	Comparatio.
Ratiocinatio.	Contentio.
Synonymia.	Antimetabole.
Expolitio.	Correctio.
Hyperbole.	Parenthesis.
Periphrasis.	Transitio.
Partitio.	Apodioxis.
Diuisio.	Aetiologia.
Epanodos,	Horismos.
Antipophora.	Homœosis cũ suis specieb⁹.
Præteritio.	Gnome &
Occupatio.	Noëma.

TErtium diximus ordinem earum figurarum, quæ vel orationẽ augent, vel causſam amplificant. Statui autẽ priori loco ponere eas, per quas potiſſimùm res amplificari solent, quinq; aut sex modis, deinde reliquas prosecutus, quæ non tam ampliorem reddere çauſſam, quam orationem augere videbuntur. Hoc interim aduertere volu-

mus puerum ſtudioſum, quòd ferè res eiſdē modis diminui, quibus augeri poteſt.

1. Auxeſis per ſingula verba,& Meioſis.

Primam amplificandi rationem per Αὔξησιν fieri volunt,qua verbis vtimur, quæ rerum magnitudinem ſuperare videntur. Hæc per tropos dictionum frequentiùs fieri conſueuit, vt cùm pro errato, ſcelus: pro conuitiari,debacchari ponimus: & latrocinatum dicimus,qui vulnerauit.

Diminuimus contrà ſingulis verbis per Μείωσιν ſeu per ταπείνωσιν, vt ſi pro ſcelere erratum ponamus: aut ſtrinxiſſe quempiam, qui vulnerauit: probè potum qui inebriatus eſt.

2. Periſtaſis.

Secunda amplificandi ratio fit per Circunſtãtias quas Græci Περιστάσεις dicunt, quibus nõ tantum oratio locupletari, ſed etiam res ipſa amplificari commodiſſimè poteſt, ſi conuenienter applicentur. Sunt autem Circunſtantiæ tum Perſonarum, tum rerum de quibus in genere Iudiciali pauca attigimus, copioſiùs autem in Dialecticis libro quinto, vt:Non puduit illum ludere teſſeris cum ſcurris, in popina publica, die feſto ſacerdotem, paſtorem,theologum,monachum,lucri gratia,dolo,periurio, &c. Sic Hebr. Ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας &c. Suppullulat ex Circunſtãtijs Hypotypoſis,Syllogiſmus,Pathopœia,& alię nonnullæ,vt patebit.

3. Hy-

3. Hypotypoſis.

Fit ὑποτύπωσις ſiue ſubfiguratio, cum circumſtantias tum diligenter perſequimur: vt coram res non dici ſed agi videatur: aut tanquam in tabula quadam oculis obiecta fit, vt apud Ouid.

Deq; ſinu matris ridẽtem, & parua Learchum,
Brachia tendentem rapit, & bis terq; per auras,
More rotat fundæ, rigidoque infantia ſaxo
Diſcutit ora ferox.

Sexcenta huiuſmodi inuenias apud eundem & alios, maximè apud Virgilium in poſterioribus Aeneidos, & apud Tragicos. Paulus quoque Galatis dementiam eorum improperans ad hanc figuram ſpectare videtur, cùm dicit: Οἷς κατ' ὀφθάλμους Ἰησοῦς χριστὸς προεγράφη ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος &c. Sic. Iohan. καὶ κλίνας τὴν κεφαλὴν παρέδωκε τὸ πνεῦμα.

4. Pathopœia.

Accedit ad hanc παθοποιία ſeu παθὸς, cùm ex circunſtantijs tum perſonarum, tum rerum affectus petuntur, quibus auditorum animos mouere ſtudemus tum in Epiſtolis, tum in orationibus, maximè in Epilogo ſeu peroratione, vt: Succurrãt illę tibi parentum tuorum lachrymæ, etiam inter epulas, cùm vltimum tui valedicerent, non ſine multo cognatorum gemitu & paruulorum fratrũ & ſororum tuarum deprecationibus, qui & corporis & animæ tuæ vnà periculum formidabant, Ouid. vt ſuprà, Rigidoq; infantia ſaxo Ora, &c.

Galat. τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ χριστὸς ἐν ὑμῖν, &c.

5. Syllogismus.

Tertia amplificandi ratio fit per συλλογισμὸν, hoc est, Ratiocinationem, cùm vel ex antecedentibus, vel concomitantibus, vel sequentibus à nobis suggestis, auditor colligit quantum sit quod amplificatum volumus: vt si exempli causſa dicamus, quod ad genus humanum per peccatum captiuũ à Sathanæ tyrannide liberandũ, Deoq; vindicãdum, filius Dei factus homo crucis supplicium & mortẽ pertulit, pro diuerso respectu vel ex antecedẽtibus vel ex sequentibus. Nam ex eo colligimus, quàm horrenda res & detestanda peccatum sit vel priorum vel posteriorum, propter quod Dei filius, & cætera. Sic ex concomitantibus: Euangelica peccatrix inuocata superborum Pharisæorum in conuiuium irrupit, illisque spectantibus & indignantibus dominicos pedes vnxerit, lachrymisque rigatos capillis suis exterserit. Hinc æstimandum colligimus, quanta illius pœnitentia, quantus amor, &c. Rom. Αὐτη μοι δοκῖ μεγάλη, καὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου. ἠυχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, &c. Et ad Cor. indicauit Paulus, δεδόσθαι τὸν τοιοῦτον (nempe incestum hominẽ) τῷ Σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, &c. Meminerit puer eadem quoque ratione diminutionem per hanc figuram fieri posse, qua amplificationem docuimus, cum eodem orationis

tionis argumento: vt Paulus ad Rom. Τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε.

27. Synonymia & Expolitio.

Quarta amplificandi ratio fit per interpretationem, aut (vt Græci dicunt) per Συνωνυμίαν, Quintilianus Congeriem vocat, cum multas voces fermè synonymas, hoc eſt, communis aut ſimilis ſignificationis congerimus, ſic & alia aliā interpretatari videatur, id quod etiam in æquiualētibus pluribus clauſulis fieri poteſt. Porro in vtroque modo ſtudendum: vt in poſterioribus, tum vocibus, tum clauſulis, maior ſit emphaſis, vt: Audimus (proh dolor) paſſim ab hoſtibus non modò viros & mulieres, verumetiam paruulos & infantes crudeliſſimè interfici, trucidari, & mactari. Item: Niſi regnum Dei vim pateretur, & arcta foret via quæ ducit ad vitam, nec tantis ſe laboribus atterent, nec tot ſe curis, & vigilijs angerent, nec toties etiam ſe vitæ diſcrimini exponerent. Sic Cor. Ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ καὶ ἐν φόβῳ καὶ ἐν τρόμῳ πολλῷ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς. Hac figura vides puer præter augmentum, quod adfert orationi, etiam cauſſam amplificari, dum nouatis verbis aliquoties idem repetētes, mentibus auditorum cum decore inculcamus quod amplius volumus apparere.

Expolitio quoque per hanc fieri ſolet cùm eadem ſententia ſecūdum Synonymia, hoc ferè modo variatur, Pater malus & oſor liberorum nunquam fieri poteſt vtilis reipublicæ adminiſtrator:

neq; is, qui amiciſſima & maximè domeſtica corpora non amat, vnquam vos pluris faciet, quam alienos: neque priuatim malus, vnquam publicè fieri poteſt vtilis, neque qui domi eſt prauus, vnquam in Macedonia ad legationem probus erit & bonus. Non enim conuerſationem & mores, ſed locum mutauit.

8. Congeries. Quinta amplificandi ratio.

Cognata Synonimiæ videtur συναθροισμὸς ſiue Cõgeries, qua eiuſdem naturę res diuerſæ coaceruantur. Locum habet præcipuum, cùm perſtringere nitimur aduerſarium, hoc modo: Os, oculos, vultum, manus, ventrem, totum denique corpus inſpice. Scitè Paul. ad Rom. Πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, πορνείᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ: κακίᾳ, μεστοὺς φθόνου, φόνου, &c. cum iucunda illuſione.

9. Incrementum, & 10. Climax.

Sexta amplificandi ratio Incremento fit, Græcè nonnullis Αὔξη dicitur, præcedentibus affinis, cùm videlicet aut vocibus, aut clauſulis ſignificatione, creſcentibus, veluti per gradus quoſdam peruenitur ad ſummum, vel etiam vltra ſummum, vt: Sauciauit, occidit, extinxit. Item Cicero: Facinus eſt vincire ciuem Romanũ: ſcelus verberare: parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? In huiuſmodi præter locupletationem manifeſta eſt amplificatio.

Non diſſimilis eſt Κλῖμαξ ſiue Gradatio, venuſtè locupletans figura (modò nimis affectata non ſit)

sit) &iamplificans, tametsi complures enim inter Schemata λέξεος numerare consueuerunt. Fit autem, cum per plura cõmata etiam gradatim procedendo sic cõponitur oratio, vt præcedenti clausulæ finale verbum principium sequentis fiat, in hunc modum apud Ciceronem: Quæ reliqua spes est libertatis, si illis & quod libet, licet, & quod possunt, volunt, & quod volunt audent. Sic D. Petrus in Epistola 2. Adijcite fidei vestræ virtutem, virtuti verò scientiam, scientię verò temperantiam, temperantiæ, & cæt. Iucundissimè & Paulus ad Romanos. Θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται. ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταίσχυνει. Item, Οὓς προέγνω, καὶ προώρισε, οὓς δὲ προώρισε, &c.

11. Comparatio, & 12. Contentio.

Septima ratio per Comparationem, quam alij Σύγκρισιν, alij Παραβολὴν vocant, cùm vel similia inter se, vel dissimilia à minore ad maius amplificando, aut à maiore ad minus diminuendo comparantur, vt: si furem, qui propter inopiam priuati cuiuspiam hominis diuitis non admodum magnã pecuniæ summam clam sustulit, laqueo necamus, qua pœna prædo notarius, expilator ærarij publici, pestis patrię post rapinas, post incendia, post agrorũ depopulationes, post vrbiũ euersiones, post omnem tum suę, tum vicinarum regionum desolationem multãdus est. Itẽ: Si furtum, quo fortassis vnus duntaxat homo lęsus est, cui res oblata fas

cile restitui potest puniendum iudicamus: quàm detestãda detractatio iudicabitur, qua non vnius, sed plurium frequenter & à pluribus irrecuperabilis plerunque fama læditur? & id genus alia sexcenta, in quibus res minoribus collatas ampliores ostendimus: Nam vt dictum est, talis comparandi ratio Amplificationi potissimũ deseruit. Sic Paulus Corinth. Αυτὸς ὁ Σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτὸς, οὐ μέγα οὖν εἰ καὶ οἱ διακόνοι αὐτοῦ μετασχηματίζονται ὡς διάκονοι δικαιοσύνης, &c.

Simili ratione amplificandi multis alijs in locis vtitur Apostolus. Huc nonnulli torquent parabolas rerum natura dissimilium, & fabulas poëticas de quibus postea.

Contentio, quam Græci Ανλίθεσιν vocant, familiaris quoque est locupletandi, sic etiam amplificandi ratio, cognata priori. Nam quemadmodum in superiori extendimus amplificando orationem, rerum natura similium, cõparatione, ita per hanc res natura dissimiles, imò contrarias comparamus & earum collatione alteram altera ampliorem ostendimus. Fit autem aut singlis verbis, aut integris orationibus, vt: Seruaui non extinxi. Et eleganter Paulus ad Romanos: Εἰ καὶ σάρκα ζὴ μέλλετε ἀποθνίσκειν, εἰδὲ Πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατῦτε, ζέσεσθε. Et scitè ad Corinthios: τὸ γὰρ παραλίκα ἐλαφὸν τ θλίψεως ἡμῶν, καθ' ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμιν. Sic sæpiùs disertè in pluribus locis. Hęc omnibus aptè

&

& copiosè dicendo studiosis debent esse commendatissima.

13. Antimetabole.

Videtur nonnihil accedere ad præcedentem Ἀντιμεταβολὴν, quam commutationem volunt, qua inuertimus aliam sententiam per contrarium, vt: Esse oportet, vt viuas: non viuere, vt edas. Ad Romanos: Μὴ νικῶ ὑπὸ κακῶ, ἀλλὰ νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακὸν. Sunt qui hanc Inuersionem dicunt.

14. Correctio.

Correctionem vocant alij ἐπανόρθωσιν, alij διόρθωσιν, cum videlicet id, quod quasi lapsi diximus, aliud supponentes rectius seu magis idoneum corrigimus, vt: Homo ille, bestiam potius dixeris qui temulentia & libidine sua omnia conspurcauit. Cicero: Quas ille leges, si modò leges nominandę sunt, ac non faces potius vrbis & pestes reipublicæ. Sunt qui μετανοίαν, sunt qui ἀφορισμὸν vocant.

15. Hyperbole.

Speciem tropi nonnulli faciunt ὑπερβολὴν, quod excessũ significat, nos inter schemata ponere maluimus, quò voces in ea propriam significationẽ non mutent. Si cui secus visum fuerit, suũ sequetur iudicium. Fit autem Hyperbole, cùm id quod dicimus fidem excedit. Vsus eius est in rebus, quæ modũ excedunt, vt si dicamus amplificando: aquilis velociores: aut minuendo, testudine tardior. Sic Paulus ad Colossenses, vbi dicit de Euangelio: πα-

ρόντας εἰς ὑμᾶς, καθὼς ϗ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ.

16. Periphrasis.

Familiaris quoque scriptoribus est Περίφρασις, hoc est, circumlocutio, cùm vnum verbũ pluribus circumloquendo explicamus, ornatus aut honestatis gratia & vtroq; modo oratio venustè augetur. Fit subinde Notatione, vel circunstantiarum, loci, temporis & aliarum vsu, vt: Tempus erat quo primo quies mortalibus ægris, Incipit, &c. pro prima noctis vigilia. Interdum Ετυμολογία, vt: reddere vrinam, pro meiere: exonerare aluum, pro cacare: amator sapientiæ, pro philosopho. Interdum ὁρισμῷ, hoc est finitione, vt si bonum & à Deo inspiratum affectum, pro virtute ponamus: Et Christum cum Paulo: Θεοῦ δωάμιν, ϗ Θεοῦ σοφίαν, ad Corinthios dicamus.

17. Partitio, seu Distributio, & 18. Diuisio.

Μέρισμὸς Partitionem seu distributionem sonat, cùm totum in partes secamus, vt: Totus monstrum est, oculi fœdi, os barbarum, humeri inęquales, pectus gibbosum, &c. Corinth. Εκάστῳ δὲ δίδοται φανέρωσις τοῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον: ᾧ μὲν γὰρ διὰ τοῦ πνεύματος δίδοῦ λόγος σοφίας, ἄλλῳ δὲ λόγος γνώσεως, & reliqua.

Affinis admodum est huic (nisi eandem dicere velis) diuisio illa, quã διάλυσιν vocant, qua simpliciter diuersa proponimus, sine aliquo toto, seu cõmuni præmisso, vt: Vel auaritia ad furtum impulit, vel inopia: deinde causa subiungatur vtriusque partis,

partis: non auaritia, à qua semper fuisse alienum declarat vitæ ratio: non inopia, quod largè suppetant ei facultates. Paulus Cor. Νῦν χαίρω, οὐχ ὅτι ἐλυπήθητε, ἀλλ' ὅτι ἐλυπήθητε εἰς μετάνοιαν, &c. quibus resoluit duplicem tristitiam, alteram salutarem, alteram mortiferam. Et Iacobus Epistola: Οὐκ ἔστιν αὕτη ἡ σοφία ἄνωθεν κατερχομένη, ἀλλ' ἐπίγειος, &c. illæ sequuntur adiecta causa.

19. Epanodos.

Ἐπανόδος Regressio (quæ & quibusdã πρόληψις dicitur, quòd sine Prolepsi, de qua dictum est in primo ordine, fieri non queat) tum fit, cùm toto præsumpto diuersitatem quandam in partibus ad verbũ totius egressi significamus, vt: Vicêre Romani, alios pugna nauali, alios campestri: Paulus Corinth. Χριστῷ εὐωδία ἐσμὲν τῷ θεῷ ἐν τοῖς σῳζομένοις καὶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις, οἷς μὲν, ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον, οἷς δὲ ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωήν.

20. Anthypophora.

Ἀνθυποφορὰ quam subiectionem vel obiectionẽ interpretantur, tum fit, cùm aliquid nobis propositum vel obiectum concedimus: sed aliud subijcimus, quo talem obiectionem nobis tolerabilem ostendimus, vt: Fateor id quidem laboriosum esse, verum admodum vtile, imò necessarium fore probabo. Sic Paul. ad Philippenses: Συνέχομαι γὰρ ἐκ τῶν δύο τίνων· τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι· πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον· τὸ δὲ ἐπιμένειν ἐν τῇ σαρκὶ ἀναγκαιότερον δι' ὑμᾶς.

21. Pręteritio.

Παράλειψις est, cùm simulamus nos velle præterire, quod tamen maximè dicimus: vt ne dicam interim (vel) vt taceam (vel) quid attinet commemorare etiam vulgò prodita tua furta, tua stupra, tua flagitia? Sic ad Philemonem: Ινά μὴ λέγω σοὶ ὅτι καὶ σεαυτὸν μοὶ προσεφείλεις.

22. Occupatio.

Προκατάληψις, quam alij Pręsumpsionem, alij Occupationem dicunt, figura est non modo oratoribus, verùm omnibus etiam scriptoribus necessaria, qua id quod nobis obijci possit, aut lectoris animum tenet suspensum, priusquam obijciatur occupamus, aut tacitè occurrimus quæstioni, vt Parenthesin apud Nasonem: Occupat hunc (vires insania fecerat) Iuno, cum prius de scopulo accessu difficillimo locutus esset. Sic Paulus ad Romanos, cùm gentes & Iudæos æqualiter peccato obnoxios declarasset: Τί οὖν inquit, τοῦ περίσσοντοῦ τοῦ Ιουδαίου: & reliqua eiusdem capitis. Per hanc quoque nonnunquam mitigamus, quæ liberiùs diximus, vt ad Galatas: Miror quòd tam citò transferimini ab eo, qui vocauit vos per gratiam Christi in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi quidam sunt turbantes vos, &c. Ne mireris, puer, si hanc subinde à Grammaticis ἀνθυπόφοραν dici deprehendas, qui (quamquam re ipsa conueniunt) in nulla re minus, quam in figurarum appellatione dissident.

23. Pa-

23. Parenthesis.

Quia de ea interpositione (quã Παρένθεσιν cõmuniter dicimus, alij etiam διάλυσιν, hoc est, Dissolutionem nominant) iam facta est mentio, licet ea vulgarior sit, quàm vt multis tractetur, sic eam describimus: Parenthensis est figura, qua diuersa ratione aliquid sententiæ, quo dissolui videtur interponimus vel includimus, Virgilius.

Aeneas (neque enim patriam consistere mentẽ, passus amor) rapidum ad naues præmittit Achatẽ.

ad Rom. ἢ ἀγνοεῖτε ἀδελφοί (γινώσκουσι γὰρ νόμον λαλῶ) ὅτι ὁ νόμος κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ.

24. Transitio.

Μετάβασις quoq; familiaris est, & præcipuè epistolis indicatiuis compositis scribendis, qua paucis monemus vnde dixerimus, & vnde continuò dicturi simus, vt: Hactenus tibi Amers fordianam obsidionem, & clamorem, & cladem paucis perstrinxi, nunc tibi Duræniana & repugnationem & stragem depingam. Item: Audiuisti quam sit honestum literarum studium, nunc quàm vtile pariter ac iucundum sit audies.

25. Apodioxis.

Ἀποδιώξις, quam Reiectionem interpretantur, familiaris est oratoribus, qua nimirum eludunt tanquam dilutione, indignum aliquid ab aduersario obiectum, vt si dicamus: De hac re quid attinet dicere, cùm ad causam non multum faciat? Et Hieronymus cùm periurij argueretur ab ad-

uersario propter datum in visione nocturna iusiurandum, & non præstitum, somnia me (inquit) mihi refert, & ad Romanos: Καθὼς φασί τινες ὑμᾶς λέγειν, ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθη τὰ ἀγαθά, ὧν τὸ κρῖμα ἐνδικὸν ἐστιν.

26. Aetiologia. 27. Horismos.

Αἰτιολογία (Causam dicunt) adeo vulgaris est vt nusquam apud doctos scriptores non occurrat: cum videlicet propositioni alicui causam subijcimus, & præcipuam vim habet cum venustate sermonis, cùm ἐνθύμημα rhetoricum in se complectitur, vt si dicamus. Hic citra controuersiam doctus euadet, quòd fœlici ingenio præditus perpetuò versetur in literis: διαλεκτικῶς autem sic: Hic perpetuo versatur in literis, doctus igitur euadet. Videatur Dialectica nostra de Enthymemate. Sic Paulus ad Rom. Φρόνημα τῆ σαρκὸς, ἔχθρα εἰς θεὸν τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ Θεοῦ, οὐχ ὑποτάσσεται. Sic, beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum, &c.

Huc quoq; referri potest Ορισμὸς, id est, Finitio cùm non simpliciter, sed cum definitione tanquam certissima rei causa aliquid dicimus, vt: Non est ista fortitudo, sed temeritas, quod fortitudo cum ratione honesta contemptus sit periculi. Sic Paul. Romanis magistratum timendum præcipiens, inquit: Θεοῦ γὰρ διάκονος ἐστιν, ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι, & reliqua cum superioribus.

28. Homœωsis cum speciebus.

Similitudo, quam Græci Ομοίωσην dicunt, quaq;

rem

rem minus notam per alterius magis notæ ſimilitudinem explicamus,& nonnihil ad amplificationem eius facit,tres habet ſpecies.

Eicon.

Prima eſt imago vel Εἰκον, qua vel à numinis. vel ab animantis forma ſimilitudinem ducimus, vt:Aduerſarius veſter diabolus tanquã leo rugiẽs, circuit,&c. Sic: Os humeroſq; Deo ſimilis. Sic : ἐν τῇ πράξι τῶν ἀποστόλων. Luc. Ὡς προέβαλον ἐπὶ σφαγὴν ἰχθῦν, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν ἄφωνος, οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ. Volunt & hic imaginem eſſe, Frons, ſupercilia, oculi, nares, labra, barba,& totius corporis habitus, nil præter crudelitatem præ ſe ferunt.Alij Hypotypoſin volunt.

Parabola.

Secunda eſt παραβολὴ hoc eſt, Collatio,qua res diuerſi generis ſeu naturæ inter ſe coparantur, vt oſtendatur aliquid vel appetendum, vel fugiendũ, quales multæ ſunt in Euangelio & alibi, vt: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſina extinguit peccatum.Sumuntur autem ab ijs quæ fieri ſolent aut fieri poſſunt. Sic Corinth. Καθάπερ τὸ σῶμα ἓν ἐστὶ καὶ μέλη ἔχει πολλὰ, &c. Huc quoque ſpectant Comicæ, Tragicę,& aliæ Poëtarum fabulæ. Item Apologi,αἶνοι,& id genus aliæ.

Paradeigma.

Tertia eſt Παράδειγμα ſiue exemplum, quo ex hiſtorijs ſeu rebus geſtis docemus aliquid vel imitandum vel fugiendum : vt cùm ex Dauidis adul-

terio, dum cessaret ab exercitio bellico, otium vitandum suademus. Sic Paul. Cor. Μὴ δὲ πορνεύωμεν, καθὼς τινες αὐτῶν ἐπόρνευσαν: καὶ ἔπεσον ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ εἴκοσι τρεῖς χιλιάδες, &c. Videantur de hoc Schemate etiam ea quæ in Dialecticis nostris libro 4. de paradeigmate præscripta sunt. Certè nō est aliud Schema quod locupletiorem reddat orationem, & auditoribus etiam gratiorem quàm ἀφήγησιν & παράδειγμα, modò oportunè adhibeantur.

29. Gnome & Noëma.

Gnome vel γνωμὴ sententia est ad mores pertinens, & per αἰτιολογίαν vt plurimum propositioni adijcitur, vt: Obsequium amicos, veritas odiū parit. Omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Sic ad Corint, cùm dixisset Paulus: Qui gloriatur, in Domino glorietur, mox adiecit sententiam gnomicā: Οὐ γὰρ ὁ ἑαυτὸν συνιστῶν, ἐκεῖνός ἐστι δόκιμος, ἀλλ' ὃν ὁ κύριος συνίστησιν. Ad hanc quoque accedere videtur Epiphonema, de quo in secundo ordine diximus.

Accedit quoq; Noëma seu Νόημα, quod est intellectus aut Consideratio. Est autem dictum per adagiū vt plurimū obscuratū, quod consideratione inuestigari solet audiētis, eo siquidem tectè significam⁹, quod auditor per se diuinet. Nā per ipsum quod apertè non dicimus, intelligi volumus. Hac de causa à pluribus inter tropos recenseri solet. Hieronymus: Puella nobilis pati cogebatur, quod nulla

nulla ancilla pateretur. Item si dicã: Quod scis nescias potius, quã prodendo in te crabrones excites.

Sunt & aliæ quæ citari solent: vt Μετάστασις, παραδιαστολή, παρομολογία, Ομοιοτοία, &c. quas, qui curiosus est, ex alijs petet.

Hæc vobis studiosi adolescentes, quantum per ægritudinem, & inter gladios licuit, exaraui, & pro primis rhetoricorum præceptorum rudimentis ad scribendas Epistolas sufficere arbitratus sum. Porrò de Pronunciatione, quæ est in vos figura pro diuerso affectu, & in corporis motu. Item de Memoria, quæ partim naturalis, partim artificialis est, prorsus nihil scribere tentabo, tum quòd ad rem Epistolarẽ non conducant, tum quòd ad absolutum Rhetorices artificium duntaxat pertinere videantur. Qui huiusmodi volet, ex Cicerone & Quintiliano requiret.

FINIS ARTIS Epistolicæ.

APPENDIX DE VENVSTA partium orationis compositione siue structura.

CVm plurimos videam adolescentulorum, qui tanto se doctius tum Epistolam, tum aliam rem quamlibet scribere putent, quanto partes orationis, hoc est, voces ipsas Gramma-

tices in contextu confusiùs transponant, alioſque non niſi cum Grammaticorum præceptis humi repere (ne ſerpere dicam) non parum doleam, operæpretium facturus mihi videor, ſi his lucubratiunculis noſtris de venuſta Nominum, Verborũ, & aliarum orationis partium ſtructura, paucula præcepta adijciam. Vt & inertes hi ad mediocrem quandam orationis elegantiam ſtylum attollere, & illi confuſaneam vocum diſiectionem in planiorem adeoque plauſibiliorem ordinem redigere diſcant. Inter quæ tamen id potiſſimũ obſeruent, vt eandem ſententiam varijs modis exprimere poſſint. Vt verbi gratia quod ſimpliciter dicitur: Amo te multùm, ſic elegantiùs variare nouerint: Mirificè te amo, ſummopere te diligo, vnicè te colo, amore ſummo te proſequor, te miro complector amore, & ſimili varietate, quã ſingulari artificio Eraſmi Copię libro, priori ſuppeditabũt. Cùm igitur Grammaticus & Rhetor contrario ferè ſitu & ordine partium orationis ſtructura vtuntur, venuſtæ dictionis ſtudioſi obſeruent hæc quinque præcepta ſequentia.

Primum præceptum de Suppoſito, verbo, & obliquo.

ABſoluta oratio plerunque ex ſuppoſito, verbo, & obliquo (quod appoſitum verbi nonnulli dicunt) conſtituitur. In quibus vt plurimum orator venuſtè hunc ordinem ſeruare conſueuit,

vt

vt videlicet obliquis in principio, ſuppoſitum in medio, & verbum in fine ponatur. Nam Grãmaticus hoc ordine dicit. Cæſar occupauit ciuitatem munitiſſimam hoſtium, Otator ferme hoc ordine diſponit. Munitiſſimam hoſtium ciuitatem Cæſar occupauit. Si tamen obliquus ſit nominis negatiui, eleganter in calce ponitur, vt Cæſare fortunatiorem legimus neminem.

Secundum præceptum, de Adiectiuo & Subſtantiuo.

INter Adiectiuum & Subſtantiuum genetiuus à ſubſtantiuo rectiùs venuſtè locatur, & inter adiectiuum & ſubſtantiuũ genetiui caſus, dictio regens eleganter inſeritur, vt: Terrorem hoſtibus magna Cæſaris ſeueritas incuſſit. Item alius caſus, Magnũ hoſtibus terrorem incuſſit. Sic quoq; altero modo: Cæſareæ clementia maieſtatis pacẽ & tranquillitatem prouincijs dedit, Grammaticus diceret: Magna ſeueritas Cæſaris incuſſit terrorem hoſtibus. aut: Clementia Cæſareæ maieſtatis dedit pacem, &c. In alijs dictionẽ regentem dictio recta præcedet, vt Cęſaris fortitudo victoria potitur.

Tertium Præceptum.

PRæterea inter adiectiuum, quod venuſtè præcedit, & ſubſtantiuum quod ſequi debet, nunc verbum Orator, nunc aduerbium, nunc cõiunctionem, nunc præpoſitionem ſolam, aut cum ſuo caſu

ponere ſolet, vt: Magnum profectò laborẽ Cæſar aſſumpſit, quem fermè ab ipſis ad nos veniſſe Gadibus aiunt, vt hoſtes ſuæ quidẽ maieſtati rebelles, noſtris autem ſuprà modum rebus infeſtos armis ſubigeret. Quam ob cauſam perpetuum illi amorem & gratiam debemus immortalem.

Quartum Præceptum, de Aduerbijs & Præpoſitionibus.

ADuerbia Præpoſitioneſq; cum ſuo caſu, vbiuis locorum aptiùs pro aurium iudicio congruere videbuntur, ordinari poſſunt, venuſtius, tamen ante verbum ſeu participium, quod determinant, vt: Debitam pro contẽptu ſuis hoſtibus, diuq; dilatam ſeueritatem Cęſar tandem exhibuit, ſed clementiſſimè mitigauit.

Quintum Præceptum, de tum geminato.

VNi ſubſtantiuo duo Epitheta, & vni Epitheto duo ſubſtantiua pulchrè ſubiunguntur per tum, vel & geminatum, hoc pacto: Cæſar tum fortis, tum prudens, immenſis & laboribus & impendijs, Chriſtianam rempublicam tum ſtrenuè defendit, tum prudenter gubernauit. In quo exemplo vides etiam æqualis moniẽti clauſulas per Tum, vel Et copulari. Porrò ſi clauſulæ diſpares ſunt, hoc eſt ſi quod per vnam ſignificatur maius ſiue maioris momenti ſit, & quod per alteram minoris, minor præcedere debet cum particula Cùm

&

& maior ſequi cum particula Tum, hoc modo: Cùm omnes citra controuerſiam terrarum principes nobis honorandi ſint: Cæſarem tamen inuictiſſimum Carolum Quintum ſuſpicere, prædicare, & præcipuo quodam cultu venerari debemus, cùm propter eximiam in rebus Imperij diſpenſandis prudentiam, tum propter ſingularem eius in Deum, pietatem & religionem.

Hæc ita tibi tradita ſunt præcepta puer, vt in tyrocinij tui principio tantiſper eis aſſuefcas, donec ex doctiſſimorum obſeruatione potiora apprehendas. Nec putes etiam tibi ſemper eadem mordicus tenenda, ſed interim etiam ijs neglectis, ſecundum ea, quæ apud optimos auctores legeris, cum iudicio proprias aures conſules.

FINIS.

Chriſto Ieſu gloria ſempiterna.

EPITOME PRÆCEPTIONVM DE PARANDA COPIA VERBORVM ET RERVM PER QVÆstiones breuiter & luculenter tradita in vsum studiosorum.

Quid est Copia?

EST facultas quædam, vnam eandemque rem, cum alijs atque alijs verbis efferendi, tum verò argumentorum & figurarum varietate augendi & locupletandi.

Quotuplex est Copia?

Duplex, Verborum & Rerum.

Quid est verborum Copia?

Facultas, qua vna eademq; sententia varijs modis efferri potest.

Quid est Copia Rerum?

Est facultas, qua breuis quædam sententia dilatatur, & vberiùs atque fusiùs explicatur.

Quibus in rebus consistit verborum Copia?

In Synonomia, Heteroſi, Metaphora, reliquisque hoc genus variandi rationibus.

Quibus in rebus consistit rerum copia?

In congerendis, dilatandis, amplificandis argumentis, similibus, contrarijs, atque alijs hoc genus modis.

Quid

Quid intereſt inter Verborum & Rerum copiam?

Per copiam verborum oratio ſola variatur, eadem manente ſententia, nec augetur corpus orationis vel argumentum: Per copiam Rerum variatur & augetur argumentum, vel materia orationis.

Ad quid conducit Copiæ exercitatio?

Primò ad vitandum eiuſdem verbi, aut ſermonis iterationem. Secundò ad diſtinguendam varietate quadam orationem. Tertiò ad ſubitam extẽpore dicendi ſcribendique facultatem. Quartò ad enarrandos auctores, ad vertendos ex alieno ſermone, ad ſcribendum denique carmen.

De verborum copia.

Quot ſunt rationes variandi orationem per Verborum copiam?

Octodecim præipuè.

Quæ eſt prima ratio?

Synonimia, quæ in his verbis ſita eſt, quæ diuerſa cum ſint, eandem omnino rem ſignificant, vt: enſis, gladius: domus, ædes: literæ, epiſtola.

Quæ eſt ſecunda ratio?

Enallage, ſiue Heteroſis, quæ duobus potiſſimũ conſtat modis. Alias enim pars ipſa mutatur, alias qualitas.

Quot modu mutatur?

Quinque.

Quibus?

Primò verbum nomine permutatur, vt: Non dubito,

dubito, Non est mihi dubium.

Secundò verbum participio, vt: Redama eum qui te amat. Amantem redama.

Tertiò gerundium gerundiuo, vt: Ibo ad audiendum concionem. Ibo ad audiendam concionē.

Quartò verbum supino, vt: Venit ereptum, pro venit vt eripiat.

Quintò Aduerbium nomine, vt: Frequenter est in aula, frequens in aula est.

Quot modis mutatur qualitas?

Duodecim.

Quibus?

Primò ponitur numerus pro numero, vt: Romanus prælio victor, pro Romani victores.

Secundò permutatur persona, vt: Qui scire posses? pro qui scire posset quispiam, apud Terentiū.

Tertiò variatur genus, vel nominis, vt: pileū & pileus, vel verbi, vt: lachrymat, pro lachrimatur.

Quartò mutatur casus, vt: Eius rei venit in mentem, pro ea res. Dono te libro, dono tibi librum.

Quintò variatur species nominis, velut cùm vtimur vel abstracto pro adiectiuo, vt: magnitudo meritorum pro merita magna, vel diminutiuo loco simplicis, vt: loquaculus, pro loquax: vel aut comparatiuo aut superlatiuo loco positiui, vt: tristior pro tristis, facundissimus, pro vehementer facundus: vel possessiuo loco primitiui, vt: iuxta sententiam Homericam: pro iuxta sententiam Homeri.

Sextò mutatur species verbi, velut cùm frequenta-

quentatiuum loco primitiui ponitur, vt: Dictito, pro dico.

Septimò figura mutatur, & simplex pro compoſito ponitur, aut contrà, vt: ponere, pro deponere: conſcribere, pro ſcribere.

Octauò mutatur tempus, vt prædiceres, pro prædixiſſes, vicimus, pro vincimus.

Nonò mutatur modus, vt: Ne crede, pro ne credas, inuenerit, acciderit, pro inueniet, accidet.

Decimò declinatio, vt: hilarus, & hilaris.

Vndecimò coniugatio, vt: lauare, & lauere.

Duodecimò variatur dictio Epentheſi, vt Mauortis, pro Martis: Proparalepſi, vt: Dicier pro dici: Aphæreſi, vt: Ruit omnia latè pro eruit: Syncope, vt: dixti pro dixiſti: Apocope, vt: Quid captant conſili? pro conſilij.

Quæ eſt tertia ratio?

Antonomaſia quæ conſtat nominis permutatione, vt: Pelides pro Achille, Dardanidæ pro Troianis: Pœnus pro Annibale, apud Liuium, Senex pro perſona heri, apud Terentium.

Huc pertinet ſi quis appellatiuo, proprij vice vtatur, cùm Apoſtolũ dicimus pro Paulo, Seruatorem pro Chriſto. Item proprio, apellatiui loco, vt: Verrem pro fure, Thraſonem pro glorioſo, Catonem pro ſapiente.

Quæ eſt quarta ratio?

Periphraſis, quæ pluribus ſit verbis, vt: Eloquentiæ Romanæ princeps, pro Cicerone. Troiani

belli scriptor, pro Homero.

Quot modis fit Periphrasis?

Tribus.

Quibus?

Etymologia, Notatione & Finitione.

Quomodo Etimologia?

Cùm nominis rationem explicamus, vt: Homo sapientiæ studiosus, pro philosopho. Qui literas docet, pro Grammatico.

Quomodo Notatione?

Cùm notis quibusdam accidentium rem quampiam describimus, vt si quis iram intelligens, animi aut bilis efferuescentiam dicat.

Quomodo Finitione?

Cùm quid res sit, ostendimus, vt: Ars benè dicendi, pro Rhetorica: Animal rationis particeps, pro homine.

Quæ est quinta ratio?

Metaphora.

Quid est Metaphora?

Est cùm vox à natiua, propriaq; significatione ad non propriam transfertur.

Vnde sumuntur Metaphoræ?

Primò à sensibus corporis ad animum. A visu, vt: Videre, pro intelligere. Ab auditu, vt: audire, pro obtemperare. Ab olfactu, vt: odorari, pro indagare. A gustu, vt: deuorare, pro rem acerbam, velut citra sensum, perferre. Secundò à bruto ad hominem, vt: Oblatrare, pro obtrectare: aut contrà

rrà ab homine ad brutum, vt si quis canē assentatorem, leonem ambitiosum, vulpem perfidā dicat. Tertiò ab animali ad non animal, vt: Vertex montis. Iratū mare: aut contrà à non animali ad animal, vt: viridis ætas, Ambo florentes ætatib⁹ apud Virgiliū. Quartò ab animali ad animal, vt si quis coruum sui inequitātē dicat. Quintò ab inanimato ad inanimatum, vt si quis orationem fluere dicat.

Metaphora in simplici nomine interdum sita est, vt si quis hominem ventri addictum, pecudem appellet. Interdum in Epitheto, vt: florida ætas. Interdum in verbo simplici, vt: Auolat ætas, labuntur anni. Interdum additur quiddam, quod Metaphoram explicet, vt: omnes incenduntur ad studia glorię.

Quæ est sexta ratio?

Allegoria,

Quid est Allegoria?

Est cum tota oratio aliud verbis, aliud sensu præ se fert, quæ Metaphora perpetua dici potest, vt: Flamma fumo est proxima. Hic aliud verbis, aliud sensu ostenditur, videlicet, in tempore cauendum esse periculum, & vitandam mali occasionem.

Quæ est septima ratio?

Catachresis.

Quid est Catachresis?

Est cùm propter necessitatem abutimur vocabulo in significatu non proprio & suo, vt cum piscinam dicimus, in qua lauamus, nec tamen pisces

insunt: Latinè abusio. Addunt quidam hoc loco Onomatopœiam, quæ fictio dici potest, vt: Taratantara, pro voce tubæ. Ad quam formam pertinet Paragoge, id est, deductio ac deriuatio nouorum verborum ex analogia sumpta, vt: Syllaturire, pro eo quod est Syllæ mores imitari velle. Interdum eiusdem dictionis varia est Paragoge, vt: voluptuosus & voluptuarius, Edax & edo, Homunculus, homulus, homuncio. Pauxillum & paucula. Quorũ obseruatio copiam orationis non mediocriter adiuuabit. Addunt quoq; Metalepsin, qua gradatim itur ad id quod ostendimus, vt: Post aliquot mea regna videns mirabor aristas. Nam per Aristas intelligit messes, per messes æstates, per æstates intelligit annos, Latinè transsumptio vel transmutatio.

Quæ est octaua ratio?

Metonymia, hoc est, Transnominatio, cùm vicino vocabulo pro vicino vtimur.

Quot modis fit Metonymia?

Quinque.

Quibus?

Primò, cùm inuentorem pro re subiecta ponimus, vt: Cererem pro cibo: Liberum pro vino: pro libidine Venerem. Secundò cùm id, quod continet pro eo quod continetur, vt: Epotum poculum apud Ciceronem pro Cluent. Aut contrà, id quod continetur, pro eo quod continet, vt Virg. Iam proximus ardet Vcalegon, pro domus Vcalegonis,

nis. Tertiò, cùm ex efficiēte effectum significamus, vt: melior remis pro velocitate, quæ fit remis. Aut contrà, vt: Frigus pigrum, audax iuuenta. Quartò, cùm ducem ponimus pro his qui subsunt, vt: ab Annibale cæsa sunt apud Cannas sexaginta millia, id est, ab eius exercitu. Quintò, cùm dicimus: Plinium semper in manibus habendum.

Quæ est nona ratio?

Synecdoche, quæ pars pro toto, vel totum pro parte sumitur, Latinè intellectionem verterunt.

Quot modis fit Sinecdoche?

Sex.

Quibus?

Primò, quoties ex vno plures intelligimus, vt: Pœnus fugatus, pro Pœni.

Secundò, cùm ex parte totum, vt: Tectum pro domo, aut contrà, vt: Fontemq; ignemq; ferebat, pro aquam è fonte hauſtam.

Tertiò, cùm è specie genus, vt: Iracundior Adria, pro quouis mari, apud Horatium.

Quartò, cùm ex materia rem confectam, vt: ferrum pro gladio, abies aut pinus pro naui.

Quintò, cùm è præcedentibus sequentia, vt: subdidit equo calcaria, pro cucurrit.

Sexto, cùm quoquo modo aliud ex alio intelligitur, vt: Vixerunt, pro mortui sunt. Eximus, pro iam actum est de nobis.

Quæ est decima ratio?

Isodynamia, æquipollentia.

Vnde constat Isodynamia?

Vocibus contrarijs,& negationis vel additione vel detractione,vt:Vir egregiè doctus,vir minimè indoctus.Omnia fecit,nihil non fecit. Placet,non displicet. Accipio conditionem,non repudio conditionem.

Sunt autem repugnantia triplicia,Contraria,vt: Amor,odium.Priuatiua,vt: Cæcus, videns. Contradictoria,vt: Nolo,volo: Doctus, non doctus: Probat,non probat.

Quæ est vndecima ratio?

Comparatiua, in quibus fit Isodynamia citra negationem,translatis tantùm partibus,vt: Minoris facit famam quàm pecuniam. Pluris facit pecuniam, quàm famam. Anteponit famam pecuniæ.Posthabet pecuniam famæ.

Quæ est duodecima ratio?

Relatiua, vt vxor illius esse non vult, non vult illum maritum.Hoc me docuisti, hoc ex te didici.

Quæ est decimatertia ratio?

Auxesis, quæ hic est amplificatio verbi solùm, hoc est,cùm amplificandæ rei gratia verbum atrocius subijcimus,loco proprij, vt cum latronẽ dicimus qui sit improbus, Mutum: qui nihil respondeat.

Quæ est decimaquarta ratio?

Hyperbole.

Quid est Hyperbole?

Est quędam rei supra fidem amplificatio,vt: Ocyor Euro,Fulminis ocyor alis,vix ossibus hęrent.

Quæ

Quæ est decima quinta ratio?

Meiosis, quæ est extenuatio incredibilis, vt cùm attigisse dicimus eum, qui pulsauit: Læsisse, qui vulnerauit.

Quæ est decima sexta ratio?

Compositio, qua situs & ordo verborum consuetus mutatur.

Quibus in rebus sita est?

Asyndeton, vt: Veni, vidi, vici. Polysyndeton, vt: Ter sternit noctesq; & dies. Syzeugmenon, quoties ad vnum verbum plures sententiæ respondent. Id fit trifariam. Aut cùm verbum ipsum antecedit, vt: Defloresçit forma vel morbo, vel ætate. Aut cùm sequitur. Vel morbo vel ætate forma defloresçit. Aut cùm ponitur verbum in medio, vt: ætate forma defloresçit vel morbo.

Huc pertinent, cùm ex oratione simplici duplicem facimus aut contrà, vt: Omnia tua mihi debes: quicquid habes, id omne mihi debes.

Quæ est decima septima ratio?

Syntaxis, cùm è constructione quædam sermonis varietas existit, vt: multa pecunia, multum pecuniæ. Tota nocte potauit, potauit totam noctem.

Quæ est decima octaua ratio?

Mutatio figuræ qua alio atq; alio affectu ac veluti habitu profertur oratio. Per interrogationem, vt: Non est miserũ mori: vsq; adeò ne mori miserũ est? Ironiã, vt: Non hoc curat populus, Id populus curat scilicet. Admirationem, vt: Multum homini

homo præſtat. Dij immortales, homini homo quid præſtat? Dubitationē, vt: Contemnit & Deos & homines, Haud ſcio, magis ne Deos contemnat, an homines? Adiurationem, vt: Non aliter ſcribo, quàm ſentio. Ne ſim ſaluus, ſi aliter ſcribo, ac ſentio. Abominationē, vt: Iſta nunquam cogitaui, Dij meliora, quàm vt iſta cogitarim. Exclamationem, vt: ô Bruti literæ amanter ſcriptæ, ô Bruti amanter ſcriptas literas. Occupationem, vt: Virgines cōplures vitiauit, vt interim de Veſtali pollura ſilcā. Subiectionem, vt: Cùm & genere ſis, & re nulla, nullis literis, nulla forma, ingenio nullo, quid eſt, cur te adeò iactes? Per ſubiectionem hoc modo: Quid habes, cur tam ſis inſolens? Natalium ſplendorem? atqui genere es obſcuriſſimo. Opes? at vel Iro ipſo es pauperior. Sic idem de cęteris. Eſt enim ſubiectio, cùm nobis ipſis reſpondemus.

Primi Supini variatio.

Quot modis primum Supinum variatur?

Sex.

Quibus?

Primò, per Gerundium, vt: Venit ereptum virginem, venit ad eripiendum virginem. Secundò, per gerundiuum, vt: Venit ad eripiendam virginē. Tertiò per gerundium in di, vt Venit cauſa eripiendi virginem, quod & ipſum per gerundiuum fieri poteſt, vt: Venit cauſa eripiendæ virginis. Quartò per verbum, vt: Venit vt eripiat virginem,

Quintò

Quintò per participium, vt: Venit erepturus virginem. Sextò per Infinitiuum, ſed Græca conſuetudine, vt: Venit eripere virginem.

Variatio Imperatiui.

Quot modis variatur Imperatiuus?

Duobus.

Quibus?

Primũ per ſubiunctiuũ, vt: Saluta, fac vt ſalutes. Secundò, per futurum indicatiui, vt Vale, valebis.

Variatio Futuri.

Quomodo variatur Futurum?

Per verbum ſubſtantiuum, vt: Pœnitebit te olim: futurum eſt, vt te pœniteat. Spero te gauiſurum facto, ſpero futurum vt facto gaudeas.

Quot modis effertur hæc oratio?

While we ſtudie

& ſimiles?

Tribus.

Quibus?

Primò per præpoſitionem, vt: Inter ſtudendũ.

Secundò per duos ablatiuos, abſolutè poſitos, vt: ſtudentibus nobis.

Tertiò, per verbum ſubiunctiui modi, vt: Dum ſtuderemus.

Quot modis effertur generalis propoſitio?

Quatuor.

Quibus?

Primò proprijs ac peculiaribus ſignis, vt: Omni-

bus est moriendum.

Secundò, per Isodynamiam, vt: Nemini non est moriendum.

Tertiò, per interrogationem, vt: Cui non est moriendum? Quis est, cui non sit moriendum?

Quartò, per signum infinitum, vt: Haud est vllus, cui non sit aliquando moriendum.

Superlatiui variatio.

Quomodo variatur Superlatiuus?

1 Per cõparatiuum affirmatiuè & negatiuè, vt: Vir omnium humanissimus. Affirmatiuè, Vir cæteris omnibus humanior, sed inusitatiùs. Negatiuè, vt: Nemo hoc viro humanior. 2. Per Syntaxin, Nemo quàm hic vir humanior. 3. Per Periphrasin, Vir quo non humanior alter. Vel per neutrũ genus, Nihil hoc viro humanius. 4. Per interrogationem, Quis hoc viro humanior, vel per neutrum genus, Quid hoc viro humanius? 5. Per signum infinitum, vt: Haud est vllus hoc viro humanior. Vel per neutrũ genus, Haud est quicquã hoc viro humanius. 6. Per Syntaxin casus superlatiui, Vir omnium humanissimus, Vir inter omnes humanissimus, Vir ex omnibus humanissimus. 7. Per Periphrasin, Vir maximè omniũ humanus. 8. Per Heterosin speciei, vt: Summa est viri humanitas. 9, Per verbum superare, vincere, antecellere, præstare, & similia, vt: Hic vir omnes humanitate superat, Facile omnes vincit, Longè præstat, Hunc virum

virum ſuperat humanitate nemo. 10. Per verbum paſſiuum, vt: Hic vir humanitate non facilè ſuperatur à quoquã. 11. Per interrogationem, vt: Quẽ non hic vir humanitate vincat? 12. Per contrariũ, vt: Hic vir humanitate nulli cedit. 13 Per Heteroſin figuræ, De humanitate quis non huic viro cõcedit? 14. Per comparatiua, Hic vir omnibus humanitate ſuperior. 15. Per contrariũ, Hoc viro nemo non humanitate inferior, Hic vir nulli humanitate ſecundus. 16. Per Iſodynamiam, vt: Vir minimè omnium inhumanus. 17. Per exclamationẽ, O ſingularem viri huius humanitatẽ. 18. Per admirationem, Dij boni, quanta eſt viri huius humanitas: 19. Per adiurationem, Ne viuam, ſi quid vnquam vidi hoc viro humanius. 20. Per particulas, Tam & Quam, vt: Nemo tam humanus, quam hic vir. Per Perinde & Atque, vt: Quis perinde humanus, atq; hic vir? Per æquè atq; vt: Haud eſt quiſquam omnium æquè humanus atq hic vir. Per adeo, vt: Vir adeò humanus, vt nemo ſit cum eo conferendus. Per ita, vt: Nemo ita humanus, vt hic vir. 2. Per Heteroſin ſpeciei, vt: Ea viri huius eſt humanitas, vt ei nemo ſit æquandus. Vel, Singulari in omnes humanitate, &c. Per Iſodynamiam, vt: Vir humanitate præditus haud vulgari. Per Hyperbolen, vt: Vir non humanus, ſed ipſa penè humanitas. 22. Per Periphraſin, Vir maximè humanus, Vir minimè inhumanus. 23. Per auxeſin, vt: Vir incredibili humanitate, Vir exemplum huma-

nitatis, quomodo Terentianuus Simo, exemplum continentiæ dixit, & Cicero innocentiæ exemplũ, de Rutilio loquens.

Connectendæ particulæ.

Quæ sunt connectendi particulæ?

Primùm, deinde, præterea, adhæc, quid, quòd, denique, quinetiam, posthac, postremo, adde his, huc pertinet.

Da exemplum.

Cicero. Quæro igitur, vester Deus, primùm vbi habitet? Deinde quæ causa eum loco moueat, si modo mouetur aliquando? Præterea, cùm hoc propriũ sit animantium, vt aliquid appetant, quod sit naturæ accommodatum, Deus quid appetat? Ad quam denique rem motu mentis ac rationis vtatur? Postremò quomodo beatus sit, quomodo æternus? lib. 1. de natura deorum.

Transitionum formulæ.

Vnde sumuntur Transitionum formulæ?

1 Ab Aequali, vt: Erant hæc iucundissima, neque minus voluptatis attulerunt illa.

2 Ab inæquali, vt: Audistis grauissima, sed audietis grauiora.

3 A simili, vt: Hęc perfidia designauit, cuius generis sũt & illa, quę Romę nuper perpetrasse dicitur.

4 A contrario. Sed hæc priuatim, nunc quæ publicè. Sed hæc iuuenis peccauit, nunc senis virtutes audietis.

5 A diuersis, De moribus habes, nunc de doctrina reliquum est, vt dicamus.

6 Quasi per occupationem, vt: Iam ad reliqua properabimus, si prius illud adiecerimus.

7 Per reprehensionem, vt: Quorsum tot transuersos abripuit dolor? Ad rem redeamus.

8 A consequentibus siue relatiuis, vt: Habes quid in illum contulerim beneficiorum, nunc quam gratiam retulerit, audi.

Quis est transitionis vsus?

Vt & quid dictū sit admoneat, & ad reliqua cōparet auditorem, atq; ita lucem adferat dicendi.

Decem generalia commutandæ & variandæ orationis præcepta.

Quot sunt generalia commutandæ & variandæ orationis præcepta?

Decem.

Quæ sunt?

1 Primùm omnium res ipsa Latinis aptisq; verbis efferenda est, vt: Hic est optimè de te meritus.

2 Deinde mutatorijs verbis vtendum, si qua, quę idem efficiant, reperiantur.

Idque fit per { Synonimiam, Heterosin, Antonomasiam, Periprasin, quæ constat { Etymologia, Notatione, Finitione.

Per Synonimiam, vt: Plurima extant huius in te

beneficia. Per Heterosin partis, verbo nomine permutato, vt: Maxima sunt huius erga te merita. Personæ & partis simul, vt? Quinto Fabius plurimum debet. Quinto Fabius plurima accepta refert. Figurę, vt hic est optimè de te promeritus. Per Periphrasin actiuè, vt: Hic te summis beneficijs affecit, Hic maxima in te officia contulit. Passiuè, vt: Tu summis es ab hoc beneficijs affectus, Ab hoc multa & præclara in te beneficia collata sunt. 3. Mox vbi propria deficient, transfatis vtendum est.

Id fit per { Metaphoram. Allegoriam. Catachresin.

Per Metaphorā actiuè, vt incredibile est quātis hic te beneficijs obligauerit, obstrinxerit, deuinxerit. Passiuè, Magnis huius beneficijs atque meritis obligatus es, obstrictus, deuinctus. In quibus etiā compositio est ex oratione simplici, facta duplex.

4 Quod si translatio quoque definit, si actiua oratio fuerit, vertenda in Passiuam, vt: Hic plurimis te beneficijs affecit: plurimis ab hoc affectus es beneficijs.

5 Postea verba in nomina inde deducta, aut in participia commutabimus, vt: Multa extant huius in te merita.

6 Substantiua adiectiuis ab ijsdem deductis, adiectiua verò, si quæ hinc veniant, abstractis permutabimus, vt: Immensa est huius erga te beneficentia, benignitas, Est & hic Heterosis speciei.

7 Vbi

7 Vbi modò aduerbia in nomina, modò nomina in alias atque alias partes orationis commutauerimus, tum aut per contrarium dicemus, aut orationem aientem in negantem commutabimus: aut contrà, per Isodynamiam, vt: Tu singularis ab hoc beneficia habes, Non vulgaria huius extant in te beneficia.

8 Si quid simpliciter, & pronunciatiuè dictũ est.

Per Ironiam { Interrogationem, Dubitationem, Admirationem, Abhominationem, Adiurationem, Exclamationem, } efferrimus.

Per interrogationem, vt: Quid est, quod tu huic non pro suis immortalibus erga te meritis debeas? Admirationem, vt: Dij boni, quãtum hic in te beneficiorũ contulit, quanta huius in te merita sunt? Hic etiam per Syntaxin oratio variatur. Exclamationem, vt: O singularem & propè incredibilẽ huius in te beneficentiã. O egregia & penè diuina huius erga te merita. Hic orationi alius quasi vestitus atq; habitus datus est, per figurę mutationẽ.

9 Post hęc paulò liberiùs totam orationem vertere licebit: vt vel vnam dictionem pluribus verbis circumeas per Periphrasin, vel è simplici oratione duplicem facias per compositionem, quàm vocant, vt: Tu huic pro eo, ac meritus de te est, gratiam referre nũquã potes. Hic adeo de te benè

meruit, vt egregijs eius te officijs respondere nullo modo possis.

10. Post alia omnia, similitudinibus interim atq; exemplis vti licebit. Variatur quoq; hæc sententia per Isodynamiam hoc modo: Huius tu summis beneficijs vsus es. Non mediocria sunt huius erga te merita. Et per Hyperbolem & Auxesin, vt: Diuina atq; immortalia sunt huius in te merita. Hic egregiè in te benificus & benignus fuit. Et per relatiua, vt: Hic maximum tibi beneficium dedit. Tu ab hoc beneficiũ maximũ accepisti. Hic tibi summa beneficia tribuit. Huic tu ingentia beneficia debes. Huius plurimus merito ipsius debes. Hic te maximis beneficijs ornauit. Hæc de verborum copia.

De copia rerum, seu ratione locupletandæ sententiæ.

Quot sunt rationes copiæ Rerum, seu locupletandæ sententiæ?

Duodecim.

Quæ est prima?

Est cùm aut species, vel partes enumeramus, aut speciem cum genere conferimus.

Quot sunt huius rationis species seu formæ?

Tres.

Quæ?

Diuisio, Partitio, Speciei cum genere collatio.

Quid est Diuisio?

Est, cùm, quod summatim ac generatim dici poterat,

poterat, id latiùs explicatur, atq; in ſpecies diducitur, vt: Rem vniuerſam luxu perdidit. Hoc ſic dilatabitur, Quicquid vel matris, vel patris nomine hæreditate obuenerat, quicquid aliorum affinium morte aduenerat, quicquid ex vxoris dote, quæ quidem neutiquam erat vulgaris, acceſſerat, quicquid ex legatis (accreuerat autem permultum) quicquid peculij caſtrenſis conflauerat, pecuniam omnem, vaſa, veſtes, fundos, agros, vna cum ipſis & villis & pecoribus: breuiter, rem omnem, atque ipſam quoque familiam, quotidianis commeſſationibus, ſumptuoſis obſonationibus, nocturnis perpotationibus, popinis, cupedijs, vnguentis, alea, luſibus, paucis diebus ita abſumpſit, abſorbuit, vt ne teruncium quidem ſibi reliquum fecerit. Hic duo illa verba. Rem vniuerſam, & luxu perdidit, ſuis partibus explicantur.

Quid eſt partitio?

Eſt quoties totũ, quod non formis, ſed partibus conſtat in eaſdem diducitur, vt: Totus cõmaduit. A ſummo capillo ad imum vſque calcaneum pluuia commaduit. Caput, humeri, pectus, venter, tibiæ, totum denique corpus pluuia diſtillabat.

In his duabus, ſimul & initio ſumma rerũ præponenda eſt, & eadem alia ſermonis ſpecie repetenda, & ita redeundum ad genus, quaſi ſingulis enumerandis iam ſimus defatigati, etiam ſi nihil erat præteritum. Præterea cauendum, ne partium ordinem confundamus, tumultuaria verborum

congerie, sed vel ordine scito, vel apta distributione, vel eleganti descriptione legentis aut audientis tædium excludamus.

Quid est speciei cum genere collatio?

Est, quoties de specie loquentes, genus adiungimus, id quod ferè fit amplificādi gratia, vt: Quū omnis eruditio plurimum adfert & ornamenti, & adiumenti mortalibus, tum præcipuè philosophia. Item: Omni quidem ætati fœda est libido, verum senectuti multò fœdissima. Item: Cùm omnibus in rebus plurimum habet momenti, tum præcipuè in bellis prudentia. Simplex enim erat, prudentiam in bellis plurimum habere momenti.

Quid est secunda locupletandæ sententiæ ratio?

Modus, vel enumeratio antecedentium, hoc est, quoties non contenti semel exitum rei proponere, ex quo reliqua, quæ præcesserunt, de se queant intelligi, singulatim ea quoque commemoramus, per quæ ad exitum peruentum est, vt: Catilinæ nefarios conatus M. T. Cic. Consul sua sagacitate statim odoratus, singulari vigilantia peruestigauit, summa prudentia deprehendit, miro in Remp. studio prodidit, incredibili eloquentia conuicit, grauissima authoritate repressit, armis extinxit, magna fœlicitate sustulit.

Quæ est tertia ratio?

Caussæ, vel enumeratio causarum, quoties rem non nudam exponimus, sed altius etiam causam repetimus,

repetimus, à quibus initijs sit profecta. Vt si quis in bello quopiã suscipiendo addat, quę fuerint simultatis causæ, quis instigator, quæ suscipiendi belli occasio, quæ vincendi spes, quæ vtriusque fiducia.

Exempla passim obuia sunt in Poëtis & Historicis, præsertim in Liuio.

Quæ est quarta ratio?

Comitantia & sequentia rem, vel enumeratio effectuum & consequentium, hoc est, quoties non simpliciter proponimus negotium, sed enumeramus etiam illa, quæ negotium comitantur, vel cõsequuntur, vt: Antonius causa belli ciuilis fuit, trium exercituum populi Romani interfectorum, clarissimorum ciuium interitus, afflictæ senatus authoritatis, omnium denique malorum, quæ videmus. Ex secunda Philippica Ciceronis.

Quæ est quinta ratio?

Hypotyposis vel descriptio rerum, personarum, locorum, temporum, qua vtimur, quoties vel amplificandi, vel ornandi, vel delectandi gratia rem non simpliciter exponimus, sed ceu coloribus expressam in tabulis spectandam proponimus, vt: nos depinxisse, non narrasse, lector spectasse, non legisse videatur.

Quomodo id præstari poterit?

Si prius ipsi totam rei naturam, omnesque circumstantias, ac veluti faciem animo illustremus. Deinde ita verbis ac figuris idoneis effingamus, vt quam maximè fiat euidens, perspicuaq; lectori

Quo-

Quomodo locupletabimur orationes rei descriptione?

Quum id, quod fit, aut factum est non summatim aut tenuiter exponinus, sed omnibus fucatum coloribus ob oculos ponimus.

Quibus rebus constat descriptiones rerum seu Hypotypoſis?

Circumstantiarum explicatione, collationibus, similibus, dissimilibus, imaginibus, metaphoris, allegorijs, & si quæ præterea sunt figuræ, quæ rem illustrant, item Epithetis.

Exemplum.

Expugnata est ciuitas, apparebant effusæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diuersis clamoribus vnus qnidam sonus, aliorum fuga incerta, alij in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium fœminarumque ploratus male vsque in illum diem seruati fato senes, tum illa prophanorum sacrorumque direptio, efferentium prædas, repetentiumque discursus, & acti ante suum quisque prædonem catenati, & conata retinere infantem suum mater, & sicubi maius lucrum est pugna inter victores.

Vnde petuntur descriptiones personarum seu Prosopopœia?

Ab omnibus circumstantijs, præcipuè verò ab his, Natione seu patria, vt: Pœnus fœdifragus, mollis Athenienſis.

Ab ætate, vt: Iuuenis prodigus.

Fortuna,

Fortuna, vt: Fastuosus diues.

Studijs, vt: Glorioſus miles.

Item à communibus affectibus, vt: Quo ſit animo pater in liberos, maritus in vxorem, &c.

Quomodo locupletatur oratio locorum descriptione?

Quoties tota loci facies veluti ſpectanda depingitur, vt: Vrbis, montis, regionis, fluminis, templi, domus. Frequenter à locorum deſcriptionibus narrationum ſumitur exordium.

Quot modis vtimur descriptione temporis, ſeu Chronographijs?

Quatuor.

1 In narrationum exordijs.

2 Gratia delectandi, veluti cùm Poetæ diem, noctem, auroram, aut crepuſculum exprimunt.

3 Cauſſa amplificandi, vt noctis deſcriptio apud Virgilium lib. 4. ad amplificandum dolorem Didonis pertinet.

4 Cauſſa probandi, vt deſcriptiones interdum veris, hyemis, autumni, æſtatis, &c.

Mixtæ ſunt, quoties temporum qualitates exponimus, puta, pacis, belli: ſimul cùm oſtendimus quæ virtutes, aut quæ vitia tum maximè valuerint.

Quæ eſt ſexta locupletandi ratio?

Egreſſio, Græcè παρέκβασις.

Quid eſt egreſſio, ſive παρέκβασις?

Eſt, definitore Quintiliano, alicuius rei, ſed ad vtilitatem cauſſæ pertinentis, extra ordinem ex-

currens tractatio.

Quot modis adhibetur?

Quinque.

Quibus?

Aut laudandi gratia, aut vituperandi, aut ornandi, aut delectandi, aut præparandi.

Vnde sumuntur egressiones?

Ab expositione rerum gestarum, à descriptione locorum, regionum, personarum. Item à tractatione fabularum, apologorum. Præterea à locis communibus quoties amplificandæ rei gratia, vel in vitia, vel luxuriam, libidinem, auaritiam, & id genus alia dicimus: vel quoties virtutes, vt frugalitatem, continentiam, studia literarum, pietatem, taciturnitatem laudibus efferimus.

Quæ est septima locupletandi ratio?

Epitheta.

Quæ sunt Epitheta?

Nomina adiectiua, & quæcunque alia, quibus proprietas quædam attribuitur, quocunque pacto non personis tantùm, verumetiam rebus, vt: Præceps iuuenta, Esca malorum voluptas, Vitæ magistra historia.

Vbi adhibentur Epitheta?

In poëmatis, in quibus & naturalibus vti licet, vt: Candida nix, Liquidi fontes.

In prosa oratione non oportet adhibere, nisi emphasin quandam habeant, & ad rem propositam pertineant, vt: Non impetrabis causam tam iniquam ab Aristide iustissimo. Tuo consilio nobis

bis ſubueni vir prudentiſſime.

Quæ eſt octaua ratio?

Circunſtantiæ, quas Græci Periſtaſes vocant.

Quotuplices ſunt circunſtantiæ?

Duplices, Rerum & Perſonarum.

Quæ ſunt circunſtantiæ Rerum?

Cauſſa, locus, occaſio, inſtrumentum, tempus, modus, atque id genus aliæ.

Quæ ſunt circunſtantiæ Perſonarum?

Natio, patria, ſexus, ætas, educatio, diſciplina, habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura, ſtudium, anteacta, commotio, conſilium, nomen.

Ad quid conducit aptus & tempeſtiuus circunſtantiarum vſus?

Ad amplificandum atq; extenuandum, ad euidentiam, ad confirmationem, & probabilitatem. Facit enim, vt tota oratio denſis ac crebris argumentis vndique referta ſit, & communita.

Quæ eſt nona dilatandi ratio?

Amplificatio.

Quot ſunt amplificationis formæ?

Præcipuè quatuor.

Quæ eſt prima?

Eſt quæ conſtat incremento, hoc eſt, quoties gradibus aliquot peruenitur, non modò ad ſummum, ſed interim quodammodo ſupra ſummum: vt: Facinus eſt ciuem Romanum vincere, ſcelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?

Ad hoc genus pertinet, cũ congeſtis ordine quodã circunſtantijs, in cõtextu & curſu ſemper prio-

re maius insequitur, vt Cicero 2. Philip. de vomitu Antonij: O rem non visu modò fœdam, sed etiam auditu, si inter cœnã in tuis immanibus illis poculis hoc accidisset, quis non turpe diceret? In cœtu verò populi Romani, negocium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum & totum tribunal impleuit.

Quæ est secunda forma?

Comparatio, quæ fit vel fictione, vt: Serui me herclè mei, si me isto pacto metuerent, vt te metuunt omnes tui, domũ meã relinquendam putarem. Vel exempli collatione, quoties proposito velut simili exẽplo efficimus, vt id, quod exaggeramus, aut proximum illi, aut par, aut maius etiam videatur, vt: Quantò est Oppanicus in eadem iniuria maiore supplicio dignus? Siquidem illa (Milesia) cùm suo corpori vim attulisset, seipsam cruciauit. Hic autem idem illud effecit per alieni corporis cruciatum. Cicero in oratione pro Cluentio.

Loquimur hic de Milesia quadã muliere, quæ pro abortu pecuniam accepit à secundis hæredibus, Ita Oppianicus etiam vxorem Marij præcio induxerat, vt prolem suam, quam in vtero gestabat, veneno perderet.

In hoc autem genere non solum tota totis, sed etiam partes partibus comparantur, vt Cicero: An verò vir amplis. Scipio Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem Remp. priuatus interfecit, Catilinam

Catilinam orbem terrarum cæde atque incendio vastare cupientem, nos perferemus?

Quæ est tertia forma?

Raciocinatio, qua amplificando aliud ex alio colligitur hoc modo: Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauseras, vt tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere. Colligitur enim quantum vini biberit Antonius, quod illa totius corporis gladiatoria firmitas nequiuerit ferre, & concoquere.

Huc pertinet, quoties res atrociſſimas eleuamus consulto, quo grauiora videantur quæ secutura sunt, vt Cicero septima actione in Verrem: Leuia sunt, hæc in hoc reo. Metum virgarum Nauarchus nobiliſſimæ ciuitatis præcio redemit, Humanum est, &c. Hic atrociſſimum quiddam expectetur necesse est, cui hæc, quæ sunt atrocia comparata, humana atque vsitata videantur.

Quæ est quarta forma?

Cum amplificamus congerie verborum ac sententiarum idem significantium, vt Cicero pro Ligario: Quæ tua mens? oculi, ardor animi? quid cupiebas? Hic velut aceruo creuit oratio. Idem fit interim omnibus altius atq; altius insurgentibus, vt in hoc exẽplo: Aderat ianitor carceris, carnifex prętoris, mors terrorq; sociorũ, & ciuium Romanorũ lictor Sextius. Amplificamus etiã quasi correctione quadã, vt Cicero in Verrẽ: Num enim furẽ,

sed raptorẽ, non adulterũ, sed expugnatorẽ pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostẽ sacrorũ relgionũq;, non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium, sociorumq; in iudicium vestrum adduximus.

Amplificamus ptæterea cùm speciem augemus generi collatam, vt: Cùm omnes disciplinas liberales plurimum homini conciliant vel ornamenti, vel adiumenti: tum in primis eloquentia. Totidẽ sunt & minuendi modi, quot amplificandi.

Quæ est decima dilatandi ratio?

Propositionum multiplicatio, hoc est, vt quam maximum propositionum numerum reperiamus.

Quot sunt spectanda in propositionibus?

Tria.

Quæ?

Primò, vt eas reperiamus propositiones, quæ quicquid ad caussam pertineat, absolutè cõplectãtur. Deinde, vt rectè diuidantur. Postremò, vt ordine quã maximè ad caussam idoneo disponãtur.

Siquidẽ eo pacto fiet, vt neq; copia rerũ confusa sit oratio, dum semper habet auditor certum aliquid, & in quod tendat animũ, & quod meminisse possit, & quod expectet, tum is qui dicit, nusquã hæreat, dum in prõptu est, quo sese recipiat in viã.

Exemplum.

Si quis suadeat M. Tullio, ne conditionem ab Antonio oblatam accipiat, nempe vt viuat extinctis Philippicis, his fermè propositionibus vti poterit. Non esse cuiquam egregio viro tanti emendam vitam, vt immortalem vitam amittat.

Huic

Huic generali subseruiat particularis, è circunstantijs sumpta præsertim Ciceroni, qui tot laboribus clarissimum, semperq; victurum nomen sibi peperit. Ac mortem esse contemnendam tot voluminibus editis fusissimè demonstrarit, maximè cùm iam seni non multum æui supereſſe videatur. Rursum altera sumetur à circunstanstijs. Nihil infelicius esse, quàm debere vitam Antonio. Tertia coniecturalis erit, callidè hoc agere Antonium, vt exustis prius Philippicis, in quibus intelligat & suam infamiam sempiternam, & Ciceronis immortalem gloriam esse sitam, deinde erepta vita, totũ quoque extinguat Ciceronem.

Vnde petuntur propositiones?

Partim ex his, quæ sunt vulgaria, partim ex his, quæ sunt propria causſæ: vulgares propositiones ex ipsa rei natura reperiri poterunt: propriæ ex circunstantijs rei diligenter expensis.

Genus suasorium proprios habet locos, vnde propositiones petere liceat, rectum, laudabile, vtile, tutum, facile, necessarium, iucundum. Demonstratiuum, item suos nempe bonorum ordines, & quæ his comprehenduntur.

Quæ est vndecima locupletandi ratio?

Est quę sumitur ex accumulatione copiosa probationum & argumentorum, quas Græci πίστεις appellant. Nam ad eiusdem propositionis confirmationem variæ rationes adhibentur, & rationes alijs argumentis confirmantur.

Quotuplices sunt probationes?

Duplices, partim enim sunt ἔντεχνοι, id est, artificiales: partim ἄτεχνοι, id est, ab arte semotæ.

Vnde ducuntur probationes ab arte semotæ, seu ἄτεχνοι?

A præiudicijs, à rumoribus, à tormentis, à tabulis, à iureiurando, à testibus.

Vnde petuntur probationes artificiales?

Primùm a signis, quorum alia sunt necessaria, quæ τεκμήρια vocantur, alia non necessaria, quæ σημεῖα dicuntur.

Secundò ab argumentis, quorum aliud est credibile, aliud velut propensius, aliud non repugnans: & ducuntur plerunque à circunstantijs, quæ duplices sunt, personæ ac rei, de quibus paulò antè dictum est. Item à locis qui sunt omnium causarum generibus communes, à finitione, Etymologia, & ab his quæ ad naturam finitionis pertinẽt genere, specie, differentia, & reliquis locis rerum, de quibus traditur in Dialecticis.

Tertiò sumuntur probationes ab exemplis, quæ plurimùm etiam valent ad copiam, & adhibentur, aut vt similia, aut dissimilia, aut contraria. Rursum, aut vt maiora, aut vt minora, aut vt paria.

De copiosa tractatione exemplorum.

Quotupliciter tractantur exempla?

Dupliciter.

Quot

Quomodo?

Aut contractius, cùm exemplum ceu notum, verbo significatur, vt Cicero pro Milone: Neque enim posset ille Hala Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut me Consule Senatus non nefarius haberi, si sceleratos interfice nefas esset. Aut fusiùs, cùm augentur & crescunt tractatione.

Quot rationibus augentur & crescunt exempla tractatione?

Tribus.

Quæ est prima ratio?

Commendatio, quæ plerunq; sumitur, vel à rei dignitate, vel ab authoris laude vel gentis, vnde ducitur exemplum, veluti siquis Lacedæmonicũ factum, aut dictum adhibeat, præfari oportet eam gentem sapientia, & rei militaris ac ciuilis disciplina cæteris longè antecelluisse, & exemplis pulcherrimis semper abundasse. Et si quis è Plutarcho citabit exemplum, præfetur licebit, eum authorem vnum omnium esse grauissimum. Item si quis M. Attilij Reguli ad hostem redeuntis exemplum velit adducere, poterit, ad hunc proloqui modum inter tam multa Romanæ virtutis insignia decora, nullum vnquam facinus pulchrius extitisse, aut laudatius, quàm M. Attilij.

Quæ est secunda?

Si fusiùs aut latiùs explicentur, cum exaggerationibus, atq; amplificationib⁹, quod genus fuerit, si quis persuadere studeat, ad prudentiam comparandã multũ conducere peregrinationes, multarũ

rerum inſpectionem, in Solonis laude aliquandiu cõmoratus, & quam ciuitatem reliquerit, & quam ob cauſſam, & quæ maria tranſmiſerit, & quas nationes, quæ capitis pericula adierit, & quibuſcum ſit congreſſus, & quid mirandum conſpexerit, & quantum temporis abfuerit, & quanto illuſtrior ac ſapientior in patriam redierit, fuſius enarret. Atq; vtraque ratio dilatandi, contrahendiq; locũ habet in fabuloſis quoq; exẽplis, ſi res ac decor patietur.

In his, quæ omnino fide carent, præfari conueniet, non ſine cauſſa eſſe conficta, neque tot ſeculis temerè celebrata. Deinde quid ſibi ijs voluerint ſapiẽtes interpretabimur. Huc etiam pertinent Apologi: quales ſunt qui Aeſopi nomine celebrãtur, & ille Menij Agrippæ de corporis humani mẽbris aduerſus ventrem conſpirantibus, apud Liuium. Referũtur huc etiam fictæ narrationes rerum geſtarum, cuiuſmodi Luciani verę narrationes, & de ſpecu apud Platonem, in quo vincti quidam vmbris perinde vt ipſis rebus delectantur.

Quæ eſt tertia ratio dilatandi exempla?

Collatio & comparatio, ſiue contentio.

Quid eſt Collatio?

Eſt cùm accommoda ſimilitudo quod adductũ eſt exemplum oſtendit aut ſimile eſſe, aut diſſimile aut contrarium. Simile, vt: Non aliter Camillus rem Romanã à Gallis oppreſſam, & in extremam perniciem adductã quàm ſua virture, depulſis barbaris, reſtituit: Ita Laurentius Valla Latinas literas,

ras inſcitia ferè barbarorum deprauatas, obrutas, extinctas, in priſtinũ nitorẽ, velut ab inferis reuocauit. Diſſimile, Brutus occidit liberos proditionẽ molientes: Manlius virtutẽ filij morte mulctauit. Contrarium, vt: Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit: Verres eadem ſocijs abſtulit.

Quid eſt comparatio ſeu contentio?

Eſt quæ demonſtrat id, quod adductum ſit, aut par eſſe, aut minus, aut maius. Par, vt apud Ciceronẽ: Etenim mihi ipſi accidit vt cum duobus patricijs, altero improbiſſimo, altero modeſtiſſimo, atq; optimo viro peterẽ. Superaui tamẽ dignitate Catilinam, gratia Galbam. Minus, vt ſi propter matrimonia violata, vrbes euerſæ ſunt, quid fieri adultero par eſt? Maius, vt pro Milone: Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui à ſe hominẽ occiſum eſſe fatetur. In qua vrbe tandem hoc homines ſtultiſſimi diſputãt? Nẽpe in ea, quę primum iudicium vidit de capite M. Horatij fortiſſimi viri, qui nondum libera ciuitate, tamẽ populi comitijs liberatus eſt, cum ſua manu ſororem interfectam fateretur.

Vnde ſumitur hæc exemplorum collatio?

Ex omnibus rerum ac perſonarum circunſtãtijs. Adiuuatur autem & orationis artificio, cum verbis ac figuris ad id commodis, alia conſultò eleuantur, alia tolluntur.

Quæ ſunt exemplis affinia?

Parabola εἰκών, ſiue imago, contentio, demonſtratiua iudicia & ſententiæ.

Quid est parabola?

Est similitudo sumpta ab his, quę fiunt, aut quę natura, casúue rebus adiuncta sunt, vt: Nauis pro ventorum ratione velum tollens, aut contrahens, in hoc aut illud latus transferēs, parabola est, quę docet sapientem tempori cedere oportere, ac rebus præsentibus sese accomodare. Quę aliquando verbo notatur, vt: Intelligis tibi vertenda vela? Aliquādo latiùs explicatur, & apertius commodatur, vt apud Ciceronem pro Murena: Quod si è portu soluentibus, qui iam in portum ex alto inuehuntur, prædicere summo studio solent tempestatum rationem & prædonum, & loçorum quod natura fert, vt his faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus ingrediantur, quo me tandem animo esse oportet, propè iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas tempestates esse subeundas?

Estq; eadem parabola, quæ exempli, dilatandæ ratio, videlicet per collationem, itemque dissimilium, cuius hoc sit exemplum: Neque enim vt nauis vtilior noua, quam vetus, sic & amicitia.

Quid est εἰκών sive imago?

Est ficta similitudo, quę cum descriptione quadam oculis subijcitur, imaginem rei collatę quasi viuam exprimit, vt: Os, humerosque Deo similis. Facit autem εἰκών magis ad euidentiam, aut grauitatem, aut iucunditatem orationis, quam ad probationem.

Quid

Quid est contentio demonstratiua?

Est quoties in genere demõstratiuo, personam cum persona conferimus, laudandi, vituperandíue gratia, vt si quis Maximilianum laudaturus, eum cõparet cum M. Antonio Imperatore. Est rerum comparatio, quod genus est, si quis Poëticam laudaturus, huius commoda cum Philosophiæ commodis committat, expendat.

Quid sunt iudicia?

Sunt sententię scriptorum illustrium gentium, virorum sapientum, aut clarorũ ciuium, quæ Græci χρίσεις appellant. Idem valent sapientum Apophthegmata, cuiusmodi sunt illa sapiẽtum dicta, quæ referuntur à Plutarcho. Huc pertinent & prouerbia, item oracula & responsa numinum.

Quid est sententia?

Est (vt inquit Cicero ad Herennium) oratio sumpta de vita, quæ aut quid sit, aut quid oporteat, in vita, breuiter ostendit.

Licet autẽ sententias in omnibus orationis partibus & in affectibus mouẽdis admiscere, non solũ in probatione, quę si in loco adhibeãtur, haud mediocrẽ orationis copiã adiungent, neq; id sine grauitate & gratia. Debet tamẽ earum esse modus, vt ibi adhibeãtur, vbi locus postulat, aut certè patitur.

Quot sunt sententiarum formæ?

Præcipuæ duæ, Epiphonema & Noëma,

Quid est Epiphonema?

Est rei narratæ vel probatæ acclamatio: Nar-

ratæ, vt apud Virgilium: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Probatæ, vt apud Ciceronem pro Ligario: Quorum igitur impunitas, Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio?

Quid est Noema?

Est sententiæ genus, quod non dicitur, sed intelligitur, quale est illud: Eras dignus, vt haberes integram manum. Nam intelligitur, vt rursus in ludo depugnares.

Est autem illud dictum in quendam agentem cum sorore talionis, quòd sibi dormienti pollicem resciderat, cùm illa fratrem, sæpius à ludo gladiatorio redemisset. Sunt & aliarum sententiarum formæ, quas, si uis, ex alijs auctoribus desume.

Quid cognationem habet tum sententia?

Expolitio.

Quid est expolitio?

Est quoties eodem in loco diutius commoramur, & tandem sententiam alijs atque alijs modis variamus simul & locupletamus.

Quibus id fit modis?

1 Commutatione verborum, cùm eadem res alijs atque alijs figuris sæpiùs effertur.

2 Commutatione tractationis, vel, cum quod iam sub persona nostra diximus, idem alium, sed paulò aliter dicentem facimus. Vel cùm quod sedatius est disputatum, id acrius atq; inflammatius effertimus.

Quot

Quot partibus constat copiosa expolitio?

Septem.

Quibus?

Propositione, Ratione, Duplici sententia, cum ratio item duplex subijci potest, Contrario, Simili, Exemplo, Conclusione.

Exemplum expolitionis.

Sapiens nullum pro Republica vitabit periculũ, *Ideo* quod sæpe fit, vt qui pro Republica perire noluerit, necessariò tandẽ cum republica pereat. Et quoniam sunt omnia cõmoda à patria accepta, nullũ incõmodum pro patria graue putandum est. *Ergo* qui fugiũt id periculum, quod pro republica subeundum est, stultè faciunt. *Nam* neq; effugere id possunt, & ingrati in ciuitatem reperiuntur. *Atqui* patriæ pericula suo periculo propellunt, hi sapientes putandi sunt, dum & eum quem habẽt honorem, reipublicæ reddunt, & pro multis perire malunt, quam cum multis. *Etenim* vehementer est iniquum, vitam à natura acceptam per patriam cum conseruaueris, natura, cùm cogat non reddere patriæ, cùm roget, non dare. Et cùm possis summa cum virtute & honore pro patria interire, malle per dedecus, & ignauiam viuere: pro amicis & parentibus, ac cæteris necessarijs adire periculum cùm velis pro Republica, in qua hoc & illud sanctissimum patriæ nomẽ cõtinetur, nolle in discrimen venire. *Itaque* vti contemnendus, qui nauigando nauim, quam se mauult incolumem: ita

Propositio duabus rationibus, cõfirmata.
Prior ratio.
Altera ratio.
Prior sententia.
Rationes.
Altera sententia.
Rationes.
Contrariũ.

vituperandus, qui in reipublicæ discrimine suæ saluti plus quàm communi consulit. Naui fracta multi incolumes fuerunt, ex naufragio patriæ nemo potest enatare. Quod mihi videtur Decius intellexisse, qui se deuouisse dicitur, & pro legionibus se in hostes immisisse medios, vnde vitam amisit, non perdidit. Re enim vilissima, maximam redemit, vitã dedit, accepit patriam, amisit animam, potitus est gloria, quæ summa laude, prodita vetustate, quotidie magis enitescit. Quod si pro republica debere accedere ad periculum, & ratione demonstratum est, & exemplum comprobatum, hi sapientes sunt existimandi, qui nullum pro salute patriæ periculum vitant.

Vtile erit diligenter exerceri hoc modo adolescentes, non solum in tractandis & exponẽdis sententiis, sed quolibet etiã argumento, quod potest commodè explicari, tractariq; copiosè. Interdum congerere licebit plures sententias, rationes, similia, & exempla, cùm copiosius tractare volumus.

Quæ est duodecima dilatandi ratio?

Multiplicatio, partium orationis Rhetoricæ, quæ sunt exordium, narratio, propositio cum partitione, probatio continens confirmationem & cõfutationem, & peroratio. E quibus exordium & narratio interdum omitti possunt breuitatis studio, interdum copiæ affectatione prolixius omnes tractari, adiectis pluribus schematis, & admixtis quoque affectibus.

Quo-

Quomodo dilatatur Exordium?

1 Renouando docilitatem commodis tranſitionibus, quod genus fuerit. Audiſtis largitione, corruptela, ſanguine, ſtupro, ac fœdiſſimis artib. paratum honorem. Nunc oſtendam illud, quod turpiter eſt adeptus, turpiùs adminiſtraſſe.

2 Renouando attentionem varijs modis, qui pro rei natura fingi poſſunt. Tales fuerunt: Magna ſunt hæc, ſed leuia præ his, quæ nunc dicturus ſum. Et nunc ad ipſum rei caput accedo, proinde quæſo, vt hæc animis quàm maximè attentis audiatis.

Quando dilatatur Narratio?

1 Repetitione, quę fit quoties res paucis ac ſimpliciter expoſita, denuò fuſiùs & ornatiùs enarratur.

2 Digreſſione, quæ & breuis eſſe debet, & ſic cũ narratione cohærere, vt aut quaſi finis narrationis aut quaſi initiũ probationis videri eadẽ poſſit.

Quomodo dilatatur Propoſitio?

Id duobus fit modis. Primũ ſi pro ſimplici, duplici aut multiplici vtimur, etiam ſi vna ſit ſatis, vt: Si feciſſet, præmio magis, quã ſupplicio dignus erat. Aut res hæc non eſt honeſta, nec expedit, nec ſine ſummo periculo fieri poteſt. Quod ſi maximè ſit honeſta, maxime expediat, maximè ſit tuta: tamen fieri nõ poteſt, vt conſequamur. Deinde ſi nõ nudam omninò, ſed & argumentis obiter interiectis & affectibus accenſam, proferemus. Qualis eſt illa Ciceronis pro Milone: Hæc ſicut expoſui ita geſta ſunt iudices, inſidiator ſuperatus, vt victis

vis, vel potius oppressa audacia est. Deinde affectus miscet: Nihil dico, quid Respub. consecuta sit, nihil quod nos, quid boni, nihil sanè id prosit Miloni, qui hoc fato natus est, vt ne se quidem seruare potuerit, quin vnà rempublicam vosque seruaret.

Quomodo crescunt probationes?

Labefactatione, seu præparatione, asseueratione, & excursionibus per amplificationem.

Quomodo crescunt labefactatione seu præparatione?

Id fit bifariam.

Quomodo?

1 Propositionibus, quæ hic sunt veluti singularũ partium orationis collectiones, seu conclusiones, quas oratoribus mos est initio argumentationum proponere, & easdem in fine vehementius per affectus per epilogum repetere.

8 Cùm ita proponimus, vt ipsa orationis figura fidem abrogemus, aut conciliemus: Cuiusmodi est illud Ciceronis pro Milone: Sed antequam ad eam rationem veniam, quæ est propria nostræ quæstionis, videntur ea esse refutanda, quæ in Senatu sæpè ab inimicis, & improbis iactata sunt, & concione, etiam paulò antè ab accusatore.

Quomodo asseueratione?

Cùm ea quæ argumenta quidem non sunt, sed pondus argumenti habent probationibus admiscentur, vt: Quis tam cæcus, qui hoc non videat? Quis tam impudens, qui neget?

Lo-

Locupletantur & singulæ collectiones epilogis particularibus, qui summam rationem paucis cõprehensam auditori denuo sub oculos reuocant, vt maiore cum fide conclusio succedat, vt Cicero in oratione pro Pompeio: Quare videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum Republica defenduntur.

Quando excursionibus?

Cum amplificationem singulis probationibus suos affectus adijcimus, ad quod propriè destinata est conclusio, quam si copiosam esse volemus, geminam efficiemus, vt simul per epilogum præcipua argumenta recensentur, & affectuum omne genus, per omnes locos tractetur.

FINIS.

LECTORI. S.

EST vtilissima pars studiorũ puerilium, exercitium, & vsus præceptorum, quę traduntur adolescentię, varius, assiduus & diligens. Nã absq; exercitatione non satis intelliguntur præceptiones artium, nec diu inhærere possunt mentibus. Adijcimus igitur hoc loco etiam species argumentationũ Rhetoricarum breuiter collectas, quòd earũ cognitio non minus necessaria & vtile exercitium videatur esse, quã Dialecticarum adolescentibus. Nam sæpè occurrunt earum exempla in bonis auctoribus, & diligẽter pertractata sunt ab ijs scriptoribus tũ Græcis, tum Latinis, qui de Rhetorica præcepta tradiderunt. Nihil inquit ille, paruum est in studijs. Ideò & hunc breuem quasi tractatulũ studiosus adolescens non contemnet: sed vt profuturum, suis studijs amabit. Si quis hęc volet, Rhetoricis præceptis addere potest, vel proponer ediscenda in eo Dialectices loco, vbi de formis argumentationum agitur. Nos in calce libelli ideò adiunximus, vt succinctius & peculiari opera & tempore explicari adolescentiæ commodius possent. Vale.

DE NOVEM SPECIEBVS ARGVMENTATIONum Rhetoricarum.

Quot sunt species argumentationum Rhetoricæ?

Nouem.

Quæ?

1 Ratiocinatio.
2 Inductio.
3 Collectio.
4 Complexio, seu Dilemma
5 Enumeratio.
6 Simplex conclusio.
7 Subiectio.
8 Oppositio.
9 Inuersio.

1 *Ratiocinatio.*

Quid est Ratiocinatio?

Est syllogismus Rhetoricus,, in quo rationibus vna vel pluribus additis maiori & minori propositioni, infertur conclusio.

Quot constat partibus?

Quinque.

Quibus?

Propositione, propositionis ratione, assumptione, assumptionis ratione, & conclusione.

Da exemplum.

Fe. Cuicunq; quæsito opus est, is verè diues dici non potest. Est enim diuitiarum fructus copia, quã declarat satietas rerum & abundantia, hoc est, si nihil tibi deesse putes, nihil appetas, nihil optes amplius. Ri. Marco Crasso quæsito opus est, quia propter

propter auiditatem pecuniæ, nullum quæſitum turpe putat', quotidie fraudat, poſcit, paciſcitur, aufert, eripit, ſpoliat ſocios, ærarium expilat, & teſtamenta ſupponit, quæ omnia non abundantis, ſed egentis ſunt ſigna. O. Ergo M. Craſſus verè dicues dici non poteſt.

Interdum pluribus conſtat ratiocinatio, quàm quinque cum vnaquæq; probatio ſuã habet cõfirmationem & rationem, atq; hæc rurſus aliam. Interdum omittitur probatio, vel popoſitionis vel aſſumptionis, fitq; argumentatio trimembris.

2 *Inductio.*

Quid eſt inductio?

Eſt argumẽtatio, quæ rebus nõ dubijs cõceſſis, propter ſimilitudinẽ, rẽ quæ dubia erat, cõprobat.

Da exemplum.

Dic mihi, ſenex ingratiſſime, ſi nihil in te officij collocaſſem, num tu me iniuriũ vocares? Non inquies. Neq; enim iniuria videri poteſt, ſi nihil de eo bene mereariscui nihil debes. Nũc igitur, cùm vltrò plurimum in te officij contulerim, nõ æquũ eſt, te mihi ſuccenſere quòd benè facere deſierim, qui ſuccenſere non poteras, etiamſi nunquam benefacere cœpiſſem.

3. *Collectio.*

Quid eſt collectio?

Eſt argumentatio, quæ rationibus & expoſitionibus abſoluitur.

Quot partibus constat?

Quinque.

Quibus?

Propositione, ratione, rationis confirmatione, expolitione, & conclusione.

Propositio est, quod ad probandum sumitur. Ratio, quæ probat, quod propositũ est. Cõfirmatio est rationis probatio. Expolitio est, quę locupletãdę & honestãdę rei gratia adhibetur. Hæc ferè sumitur à similibus, exemplis, amplificationibus, prouerbijs, & id genus alijs. Cõclusio est, quæ superioribus breuiter repetitis propositionem iterat.

Da exemplum,

Propositio. *Ratio propositionis.* *Confirmatio rationis constans collatione.* *Expolitio ab exemplo.*

Sapientis est famę suę longè diligẽtius, quã opibus suis, nõ minus verò diligenter, quã vitę cõsulere. Min⁹ siquidẽ dãni & incõmodi accipit, qui pecuniã, aut etiã vitã amittit, quã qui famam. Fama amissa in integrũ restituitur nũquam. Et vita quidem corporis, cùm certos à natura terminos acceperit in longũ tempus extẽdi nequit. Fama verò hominis, quę est altera & potior vita nostra, etiã post cineres & rogũ supereſt. Vitam igitur quisquis eripit, rẽ adimit, qua nullo etia auferẽte, diu frui non poteramus at fama qui eripit, re immortali & pulcherrima nos spoliat. Quod veteres rectè intellexisse mihi videtur, qui nõ pecunia modò, verũetiã vitam ipsam effundere nõ dubitarunt, quo nomẽ suum, quàm maximè prorogarent. Multos fuisse eo animo legimus, vt postquam se fama spoliatos viderent

viderẽt,ne cauſſam quidem eſſe putarent, cur diutius in vita manerẽt. Adeo grauius famæ, quàm vitæ diſpendium iudicabant. Quod ſi igitur homines,ijs rebus maximè timere videmus, quę cum ſunt preciociſſimæ, facillime tamen perduntur, ac difficilè reſtituuntur: ſapiens exiſtimandus non eſt, qui famæ, quæ neque reſtitui poteſt ſemel amiſſa,& qua nihil habet homo pretioſius,non multò diligentius conſulendum putet, quam pecuniæ, aut etiam vitæ.

Poteſt etiam tribus duntaxat,aut quatuor conſici collectio,ſi vel confirmatio, vel expolitio, vel vterque omittitur.

Quomodo differt collectio à Ratiocinatione?

In collectione id ipſũ,quod proponitur,in concluſione repetitur: In ratiocinatione concluditur id quod eſt è propoſitione & aſſumptione cõfectũ.

4. *Complexio ſiue Dilemma.*

Quid eſt complexio ſiue Dilemma?

Eſt argumentatio,in qua vtrumuis conceſſeris, reprehenditur, vt: Gabinium admonendum non cenſeo.Nam ſi bonus eſt,admonitione non habet opus,ſin improbus,eam contemnet.

Aliud.

De futuris angi metu non debemus. Etenim ſi bona ſunt,fruſtra metuimus: ſin aduerſa, infelicitatem duplicamus.

Vitiosæ cõplexiones sunt, in quibus aut vtraq; pars aut altera conuerti, & in aduersarium retorqueri potest, vt: Accusandus omnino nõ est. Nam si veretur, quid eum accusas qui probus est? si non veretur, quid eum accusas, qui id parui æstimet? Hic inuertitur vtraque pars. Prior, vt: Imò si veretur, maximè est accusandus, vt corrigatur. Posterior, vt: Si non veretur, hoc ipso est accusandus, quia improbus est. Non est hic puer tradẽdus priuato præceptori. Nam si est literarum studiosus, non habet opus priuata institutione: Sin ocio est deditus, nihil proderit disciplina ignauo. Hic inuertitur prior pars: Imò si studiosus est, plus proficiet, quam si priuatum præceptorem habuerit.

5 *Enumeratio.*

Quid est enumeratio?

Est in qua pluribus rebus sufficienter expositis & cæteris infirmatis, vna reliqua necessariò confirmatur.

Quibus constat partibus?

Expositione, confirmatione, conclusione.

Da exemplum.

Si illũ ab hoc dicis occisum, cum sine caussa nũquã suscipiatur maleficiũ, necesse est aut metu, aut odio, aut spe alicuius commodi, aut amici alicuius gratia ab hoc esse occisum. Sed neq; odium, neq; metum, neq; spem intercessisse, neque ad amicum aliquem mortem eius pertinere probare poteris. Relinquitur ergo ab hoc non esse illum occisum.

Inter-

Interdum constat tantùm infirmatione & con- *Conclusio.*
clusione, vt: Neque metuit, neq; odio habuit, neq; aliquid commodi spectauit, neque amicitia alicuius motus est: Igitur non occidit. Fabius argumentum à remotione appellat. Dialectici vocant argumentationem à sufficienti diuisione, vt: Neque censura, neque vindicta, neque testamento liber factus est: Ergo liber non est. Confutatur autem enumeratio, si aut vnum aliquod membrum, quod ab aduersario prætermissum erat, profertur, aut si vnum quippiã ex his, quæ prolata sunt, falsum esse ostenditur

6. *Conclusio simplex.*

Quid est Conclusio simplex?

Est argumentatio, in qua ex eo, quod antecedit aliquid consequi, necesse est, vt: Spirat, ergo non est mortuus. Literas nouit, ergo didicit. Si hunc hominem constat in prouincia fuisse occisum, ab hoc, qui tum Romæ fuit, occidi non potuit.

Refutatur hęc argumentatio duobus modis. Primò si id, quod sequitur, non necessario cum antecedẽte cohærere ostenditur, vt: Si mater est, diligit filium. Refellitur, quia Medæa filium occidit. Hoc vocant Dialectici negare consequentiam. Deinde si id, quod antecedit, negatur esse verum, vt: Philosophia socordiam affert: Ergo Philosophia est vitanda, Refellitur, quia antecedens est falsum. Est igitur negandum, vt fit in Enthymemate.

7. *Subiectio.*

Quid est subiectio?

Est argumentatio, in qua quærimus, quid pro aduersario, aut contra nos dici possit, deinde per singulas interrogationes properè subijcimus rationes quibus id, quod dictum est, refutatur.

Quot partibus constat subiectio?

Trib⁹, Interrogatione, Subiectione, & Cõclusione.

Da exemplum.

Interrogationes & subiectiones. Cõclusio.

Quæro, vnde iste ex tenui iam pecuniosus factus sit? Patrimonium amplum relictũ est? at patris bona vænerunt. hæreditas aliqua obuenit? at à suis exhæredatus est, ex mercatura quam instituit, quæstum maximum consecutus est? at ex ea re, quæ habere videbatur, omnino omisit. Quare si his rationibus nõ locupletatus est, aut illi aurum domi nascitur, aut vnde non licuit pecunias accepit. Refutatur subiectio, si aut aliquid prætermissum esse ostenditur, aut infirmatur aliquid ex enumeratis, sicut fit in enumeratione, in quam subiectio commutari potest.

8. *Oppositio.*

Quid est oppositio?

Est in qua ex oppositione ad ipsam propositionem reuertimur.

Quot partibus constat?

Tribus.

Quibus?

Propositione, Oppositione, & inuersione.

Da exemplum.

Si eo tempore, quo hunc hominem in prouincia occisum dicitis, ego Romæ fui: relinquitur a me non occisum. Nã si tunc in prouincia fuissem, à me occisum suspicari poteratis. Nunc autem cùm eo tempore in prouincia non fuerim, nihil est, quod hominem à me occisum suspicemini.

Inuersio.

Quid est Inuersio?

Est argumentatio, in qua exaduersariorũ ratione non id, quod ipsi volunt, sed quod vtile nobis est, sequi demonstramus.

Quibus partibus constat?

Propositione, Ratione, & Inuersione.

Da exemplum.

Non sunt legendi poetæ, Demulcent enim legentis animum, & alliciunt: imo ob id ipsum sunt legendi, quia demulcent animum.

FINIS.

METHODVS CONSCRIBENDI EPISTOLAS AVTHORE CHRITOPHORO Hegendorphino.

CHRISTOPHORVS HEGENdorphinus Laurentio Czoch discipulo suo, S. D.

EN iterum prodit opusculum istud de conscribẽdis epistolis, & renatum & auctũ. Tibi vero, mi Laurenti, nuncupatur, vt, qui à me vnicè amaris, mei quoque erga te amoris ἀνάμνησιν habeas. Tu verò in literas & Græcas & Latinas, vt soles, gnauiter incumbe. Nec te deterreat, quòd in hoc seculo, tam literæ quàm literati contemptui sint. Redibit, crede mihi, redibit suus honor & literis & literatis: nam omnium rerũ vicissitudo est, τοῖς δὲ ἐν ὕστερῳ χρόνῳ τὰ τερπνὰ πίκρα γίνεται, καὶ αἰθὶς φίλα, vt inquit Sophocles.

VALE.

Quid

Quid est epistola?

Epistola est sermo absentis ad absentem.

Cur inuenta?

Vt faceremus certiores absentes, si quid esset, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset: author Cicero libro epistolarum secundo.

Genera Epistolarum?

Epistolæ aut sunt demonstratiuæ, aut suasoriæ, aut iudiciales.

Demonstrat unum genus Epistolæ?

Constat & laude & vituperio, personarum, factorum, rerum.

Persona laudatur à { Natalibus. Pueritia. Adolescentia. } { Iuuenta. Senecta. Morte. }

Laudari & potest persona ab animi bonis, id est, virtutibus, à corporis bonis, à valetudine, dignitate, viribus, velocitate: denique ab extraneis, honore, affinitate, genere, amicitia, pecunia, patria.

Sic laudaturus Annibalem, scribere potes.

Annibal natus est patre Amilcare, viro fortissimo, & cùm iam esset annorũ nouem, fama est eum pueriliter blandientem patri, vt duceretur in Hispaniam, quum perfecto Africo bello, exercitum eò traiecturus sacrificaret altaribus admodũ tactis, sacris iureiurando adactum se, quàm primùm posset, hostem fore populo Romano. Missus Annibal Hispaniam, primo statim aduentu, euntẽ

exercitum in se conuenit. Amilcarem viuentem redditum sibi milites credebant. Ingenium eius ad res diuersissimas, parendum & imperandum habile erat. Saguntum Romanis fœderatum intra sex menses euertit. Alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium apud Trebiam, Flaminium apud Trasiminum superauit, &c. Denique cum nemo per omnia sit felix, à Scipione superatus, ad Antiochum regem Syriæ confugit: quo victo, ad Prusiam Bythiniæ regem concessit: vnde Romam repetiturus, hausto, quod sub annuli gemma habebat, veneno, absumptus est.

Exempla locorum aliorum.

Cicero libro Epistolarum quarto, epistola quæ incipit: Accipio excusationem, &c. Seruus tuus, vel potius noster, summa me obseruantia colit, cuius ego cum omni probitate, summaq; virtute, tum studijs, doctrinaque delector, &c.

Cicero libro Epistolarum nono, epistola Et si contentus.

Nihil enim mihi crede, virtute formosius: nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amaui, vt scis, Marcum Brutum, propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem atque constantiam, &c.

Plin. Iunior Mauricio suo, S.

Petis, vt fratris tui filiæ prospiciam maritum quòd

quòd meritò mihi potissimum iniungis. Scis enim quãtopere summum illum virum suspexerim delexerimq́; quibus ille adolescentiam meam exhortationibus fouerit: quibus etiam laudibus, vt laudandus viderer, effecerit, nihil est quod à te mandari mihi aut maius, aut gratius, nihil quod honestiùs à me suscipi possit, quàm vt eligam iuuenem, ex quo nasci nepotes Auruleno Rustico deceat: qui quidẽ diu quærendus fuisset, nisi paratus, & quasi prouisus esset Municius Acilianus, qui me, vt iuuenis iuuenem (est enim iunior pauculis annis) familiarissimè diligit, reueretur vt senem, nam ita à me informari & institui cupit, vt ego à vobis solebam. Patria est ei Brexia, ex illa nostra Italia, quæ multum adhuc verecundiæ, frugalitatis atque rusticitatis retinet ac seruat. Pater Municius Macrinus equestris ordinis princeps, quia nihil altius voluit. Aduectus à diuo Vespasiano inter prętorios, honestã quietem, huic nostræ ambitioni dicã, an dignitati, constantissimè prætulit: habet auiam maternam, Serranam Proculam à municipio Patauio: nosti loci mores. Serrana tamẽ Patauinis quoq; seueritatis exemplũ est. Contigit & auunculus ei P. Acilius, grauitate, prudentia, fide prope singulari. In summa, nihil erit in tota domo, quod non tibi tanquam in tua placeat. Alciano verò ipsi plurimum vigoris, industrię, quiq́; in maxima verecundia quæsturam, tribunatum, prætoram honestissimè percurrit, ac iam

pro

pro se tibi necessitatem ambiendi remisit. Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa. Est ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam senatorius decor, quæ ego nequaquam arbitror negligenda: debet enim hoc castitati puellarum quasi præmium dari. Nescio an adijciam, esse patri eius amplas facultates, &c. ijdem loci sunt vituperij. Nam & à natalibus obscuris, pueritia tarda, adolescentia stertente, malitiosa, iuuenta ignaua, senecta inopi, morte ignominiosa, vituperatur persona.

Exempla snppeditabit frequens lectio epistolarum, & Ciceronis, & Plinij.

Genus Demonstratiuum epistolæ ipsius facti.

In hoc facta laudamus & vituperamus.

Loci confirmationis sunt,

Honestum, vtile, facile, pium, iustum, &c.

Exemplum.

Multa sunt Romanorum præclara facinora, sed hoc facilè clarissimum est, quòd P. Decius pro salute exercitus Romani, se Dijs manibus vltrò deuouerit: nam quid honestius & sibi priuatim, & publicè omnibus facere potuisset: Priuatim, quod non parui animi sit mortẽ oppetere, vitam, qua nihil chariùs homines habent, tum lubens ponere. Neque verò id temerè fecit, sed admonitus somnio, seu potius diuino afflatu se deuouit.

Publicè

Publicè verò quòd non potest non honestum esse quod vir bonus pro salute patriæ moritur. Agè vero: quot commoditates hoc suo facto attulerit, vide: Duces optimos quosq; seruauit: exercitum victorem domum remisit, Romanis æternam gloriam peperit: se denique à mortalitate vindicauit: Pater Patriæ iure suo dici potest. Quid verò commemorem, quàm difficile hoc factu fuerit? Nemo non hominum amat vitam: hæc si ponenda est, dolemus quantumuis simus fortes: Vir tamen ille cùm videret sua vita Reipublicæ salutẽ periclitaturam, maluit Rempublicam, quàm se incolumem.

Aliud.

Quòd ducentos ducatos ad ludum literarium erigendum dedisti, vehementer laudandum cẽseo. Quid enim honestius, quã de literis bene mereri? Quid magis pium, quã bonorum iuuenum studia in vrbe alere? Porro si Demosthenes essem, commoda facti tui, quid dicam exornare, vix enumerare possem. Principio, vide tua priuata commoda, laudaberis donec vllæ ciuitatis reliquiæ superfuerint, tum (cùm nemo non morti obnoxius sit) hoc tuo beneficio te à morte asseres, vt qui semper in hominum pectoribus, in monumentis eruditorum victurus sis. Non enim ingratæ sunt literę immortali præconio ornant suos instauratores. Porrò ecquã putas multos insigniter eruditos iuuenes velùt ex equo, quod aiunt, Troiano, è ludo isto prodituros. Et cùm Plato beatas Respublicas dixe-

rit, quas aut Philosophi gubernarent, aut in quibus gubernatores philosopharentur: beatissima erit Respublica tua, quæ à tot eruditis viris gubernabitur, idque beneficio tuo, &c.

Generis demonstratiui Epistolæ.

Cuius loci sunt, honestum, vtile, facile, difficile, honestas rerum antiquitate, miraculo rei inuentoribus tractatur. Vtilitas spargitur in multa, cùm circumstantijs docemus, quibus, quando vbi, cur res sit vtilis.

Exemplum.

Theologia meritò omnibus literarum studijs præponitur, vt quæ antiquissima est, vt quam inuenit ὁ θεὸς cuius nec principiũ nec finis est: quam vt mũdo palam faceret Christum de cœlo demisit. Hic eam per prædicationem & suam & Apostolorum in totum orbem terrarum enunciauit. Commoda Theologiæ: conscientiæ tranquillitas, iustificatio nostri, vita æterna, vnicum propugnaculum aduersus peccatum, mortem, diabolũ. Facilitas: Si enim temetipsum abneges, si de te desperes, adest spiritus ille Domini, & sine negocio te in penuaria sua perducit.

Huc refer descriptiones.

Regionum quę laudantur à { Ducibus, Regibus. / Vrbium frequentia. / Celebritate, Copia annonæ. / Tuto transitu.

Exem-

Exemplum, vt apud Plinium libro 3. cap. 5. Vbi Italiam sic laudibus tollit: Iam vero tota ea vitalis, ac perennis salubritatis cæli temperies est, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxij saltus, tam opaca nemora, tam munifica syluarum genera, tot montium adflatus, tanta frugum & vitium olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tam opima tauris colla, tot amnium fontiumq; vbertas totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumq; terrarum commercio patens vndique, & tanquam ad iuuandum mortales ipsa auida in maria procurrens, &c.

Vrbium quæ laudantur à { Repub. Senatu, populi frequentia, bellicositate, ciuium vrbanitate, concordia, domorum magnificentia, rerum variarum copia non ita magno parabili, ab aere, à vicinia, villa.

Virgilius primo Aeneidos.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuêre coloni,
Carthago Italiam contrà Tyberina que longè
Hostia dives opum, studijsq; asperrima belli.

Plinius libro tertio, capite quinto, Romam sic laudat: Vrbs Roma vel sola, quo tandem narrari debet opere, &c.

A Edificiorum, quæ laudantur ab { Atrio. Magnitudine. Figura. Cubiculis. Conclauibus. } { Situ. Prospectu. Vestibulo. Penetralibus. Triclinijs. }

Exemplum habes apud Plinium libro Epistolarum secundo, Epistola ad Gallum.

Homerus libro Iliad. ζ domum Priami sic describit.

Αλλ' ὅτε δὴ Πριάμοιο δόμον περικάλλε ἵκανε,
Ξεστῇς ἀθύσησι τετύγμενον, αὐτάρ ἐν αὐτῷ
Πεντήκοντ' ἔνεταν θαλαμοι ξέστοιο λίθοιο
Πλησίον ἀλλήλων δοδήμενοι, ἔνθα δὲ παῖδες
Κοιμῶντω Πριαμίω, παρὰ μνῆς ἀλόχοισι
Κυράων δ' ἑτέρωεν ἐναντίοι ἔνδοθεν αὐλῆς
Δώδεκ' ἔταν τέγεοι θάλαμοι ξέστοιο λίθοιο.

Hoc est.

Sed cum iam ad Priami domũ valdè pulchram venisset, politis parietibus fabricatam, & in ipsa quinquaginta inerant thalami de polito lapide probè inter se constructi, vbi filij dormiebãt Priami, propter desponsatas vxores: filiarum verò ex altera parte è regione inter aulam duodecim erant sublimes lecti de polito lapide, &c.

Fluminum, quæ laudantur,
- Ab amplitudine, cursu, colore, ortu, nimirum vnde nascantur, locis: quæ præterfluũt, quæ influunt.
- Agris, nemoribus, quæ irrigant, piscium genere.

Exemplum inuenies apud Plin. lib. 5. cap. 9. vbi Nilum describit. Virg. lib. 2. AEneidos.

Leni fluit agmine Tybris.

Ecce à cursu Tybrim laudat.

Pli-

Plinius lib. 5. cap. 28

Amnis Indus in Cybratarum iugis ortus recipit sexaginta perennes fluuios, torrentes verò amplius centum, &c.

Agrorum qui laudantur ab his. { Quid ferant, quantum, quo ritu colantur, cuiusmodi cultores habeant. / Quod arborum genus, quod vinum proferant.

Huc refer laudes amœnitatum ruris.

Horatius lib. Epistolarum 1. Epistola ad Faustum.

Nouisti ne locum potiorem rure beato?
Est vbi plus tepeant hyemes, &c.

Montium, qui laudantur à { Radicibus. / Si quid habeant nouum. / Quid prodigiosum. / Quid memorabile.

Plinius lib. 3. cap. 8. AEtna mons nocturnus mirus incendijs.

Virgilius lib. 5. AEneidos.

Ipse sed horrificis iuxta tonat AEtna ruinis,
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla,
Attollitq; globos flammarum, & sydera lambit.
Interdum scopulos, euulsaque viscera montis
Erigit, eructans, &c.

Generis Deliberatiui Epistola.

In hoc suademus aliquid, aut dissuademus,

Cuius loci sunt.

Honestum, vtile, possibile, necesse, facile, iucundũ, pium, iustum, æquũ, glorioſum. Porrò honesti ratio in virtutibus sita est. Proinde si honesti fontes scire vis: necesse est, vt virtutum singularum rationes teneas, quas ex 1. Officiorum libro perdisces. Cæterùm de vtilitate supra diximus. Necesse est, vt inquit Cicero, sine quo salui esse non possumus.

Aliqui hos locos recensent.

Laudem, gloriam, fidem, iustitiam, quæstum, emolumentum, fructus.

Hi verò loci cum superioribus re ipsa conueniunt.

Exemplum.

Suadet amicus amico, vt iuri ciuili nauet operam.

Audio te vir optime, tecum inire rationem cuinam studiorum generi te tradas. Tu verò, si amici consilium admittis, suadeo vt animum tuum ad iuris ciuilis scientiam adiũgas. Quid enim honestius hoc studio aut dici aut fingi potest? Hoc poteris succurrere oppresso, iudicare pupillo, defendere viduam. Quid porrò necessarium magis? Tolle è medio ius ciuile, & omnes vrbes subuerteris, omnes rerum publicarum formas cõfuderis. Non opinor ignoras, quid dicat Cicero in oratione pro Cluẽtio: Quòd hoc vinculum sit ciuitatis, hoc fundamentum libertatis. Vt enim corpora nostra sine mẽte, ita ciuitas sine legibus, suis partibus & neruis

uis & ſanguine,& membris vti non poteſt. Audi verò, quid dicat idem Orator pro Cecinna.Nihil in ciuitate, inquit, tam diligenter retinendũ quam ius ciuile,quo ſublato, nihil cuiquam exploratum eſſe poteſt,quid ſuũ,quid alienum ſit. In hoc enim incũbit ius ciuile, vt optima ciuitas conſtituatur: Alcinno auctore. En habes iuris ciuilis neceſſitatẽ.Iam vero quantũ adferat ijs, qui ei pręſunt, honoris, gratiæ,dignitatis,quis ignorat? & vt alios omittam,quantũ ſplendoris ars hęc Mutio Scęuolæ attulit, vt cuius domus verum oracului ciuitatis Romanæ dicta eſt?Sabinus quidam anguſtę rei familiaris,propter Iuris ciuilis ſtudiũ à Tyberio Cęſare in equeſtrẽ ordinem iã grandis natu,& fermè quinquaginta annorum, exceptus eſt. Caius Caſſius longius ſub eodẽ Tyberio in maximo honore habitus eſt,ſub Clodio præfectus Scyrię creat°. Quod ſi quæſtum quoq; ambis, nulla eſt ars quæſtuoſior:id quod verſiculus ille, licet in ſyllaba vna vulgo vitioſus,ſatis arguit: Dat Galenus opes,dat ſanctio Iuſtiniana.Quid quod re ipſa vides nullum quantũuis mediocriter iuris peritum rei familiaris inopia laborare? Nec vero eſt quod te difficultas deterreat: ſtùdiũ iſtud admodum facile eſt, ſi quis illud diſciplinis alijs inſtructus adeat. Tu verò cùm ſis linguarum callentiſſimus, facundia facundior, memoria viuaciſſima præditus, quid obſecro difficultatis perſenſurus es?Accedit huc quod totum iſtud ius in certos illos innumeros libros relatum

est,nec quod si perdidiceris(perdisces verò si ingenium intenderis)tantùm non alter Scæuola futurus es.Hic quoque certũ aliquẽ scriptorem elige:nec sat,vt pleriq; faciunt,qui iam illius iam istius auctoris interpretamenta sequẽtes,& ipsi incerti sũt quos sequantur, & auditores multò incertiores abeunt.Deniq; est mira quędã in cognoscendo Iure ciuili suauitas & delectatio. (Nam vt Ciceronis verbis vtar) si quem aliena studia delectant, plurima & in omni Iure ciuili & in Pontificũ libris, & in XII tabulis antiquitatis effigies, quòd & Romanorũ prisca vetustas cognoscitur,& actionum genera quædam maiorum consuetudinem vitamq; declarant. Age igitur, cùm Iuris ciuilis studio nullum sit honestius, nullum magis necessarium,nullum vtilius,facilius,deniq; iucundius,Coræbo (quod aiunt) stultior eris,si non ad hoc studium animum tuum appuleris. Vale.

Contrarij loci sunt, indissuadendo scilicet.

Inhonestum,inutile, difficile, non necessarium, impium,periculosum,impossibile.

Exemplum.

Dissuadet amicus amico,ne mercaturæ studeat.

Licet amicorũ mellitissime, ipsemet cõsilio vales,tamẽ cũ te plurimum amẽ,nõ possum nõ, quid ego de tuo instituto sentiam,apud te expromere.

Rumor

Rumor est te mercaturæ vacare velle: quod ne facias suadeo. Principio non potest per opes tuas fieri, vt copiosam mercaturam instruas. Mercatura autem, vt inquit Cic. si tenuis est, sordida putanda est. Sordidi enim putãtur, qui à mercatoribꝰ mercantur quod statim vendant. Quid quæso proficiunt, nisi admodũ mentiantur: nec verò quicquam turpiꝰ est vanitate: hæc ille. Porrò pone ob oculos pericula, quę tibi ingruent, vbi iam huc iam illuc, vel pedes, vel eques proficiscēris: si quid pecuniarum in zona tecũ gestaueris, mille insidiæ tibi tẽdentur: si merces aliquas coemeris, iam vel in mari intercident, vel via pedestri à latronibus intercipientur. Taceo imbres, tonitrua, grãdines, quę tibi iam huc, iã illuc proficiscenti imminebunt. Omitto laborem emendi, vehendi domum, has, inquam, malorum Iliadas reputa, & nimirum ni cane peius & angue mercaturam oderis. At quæstus forsitan tibi arridet. Verùm heus tu, quàm quæso sordidus est? quàm impius? Siquidẽ tu res minoris emis, vt pluris fratri tuo vendas. En quàm pius quæstus. Quid verò, si aliquando cum merce vna aut altera tantum iacturæ acceperis, quantum in multis non resarcire potes? Quid verò vbi non semper pecunia præsente emere poteris, & maioris emas, quàm reuendere vnquam queas: Quid si aliquando vnam rem plures alij emerint, & tua tibi domi maneat, vbi tunc manebit quæstus. Denique quę necessitas, si Dijs placet, Diomedæa te ad merca-

turã, adigit: an non literas tenes? quæ vnæ, te, quocunq; terrarum veneris, alere poterunt? quæuis enim terra alit artem. Et cur non potius te ad certum aliquod ſtudiorum genus transfers: vel medicinã, vel ſi mauis etiã iuris prudentiam? hac ſanè via citiùs ad honores, quorum ſcio te eſſe famelicum, ad opes, quas ambis, proueheris. Proinde ſi me amicum vis, aliò inſtituti tui vela verte.

Exemplum diſſuaſoriæ orationis habes apud Ciceronem vij. Philip.

Ad hoc genus Epiſtolæ, refer Epiſtolam
- Conciliatricem.
- Exhortatoriam.
- Dehortatoriam.
- Petitoriam.
- Commendatoriam.
- Conſolatoriam.

Conſiliatrix Epiſtola eſt, qua conciliamus vel noſmet ipſos alijs, vel allos alijs.

Loci ſunt ijdem qui ſuaſoriæ Epiſtolæ, dicimus honeſtũ eſſe, vt iram, ſimultatem, odiũ deponant: ſiquidẽ fortium virorum eſſe, ſeipſos vincere dicimus impiũ eſſe, Chriſtianũ cũ Chriſtiano diffidere: cùm vtrumq; Chriſtus ſuo ſanguine cõiunxerit: ipſe enim eſt pax noſtra. Oſtendimus multa incõmoda, quæ ex illis odijs mutuis, ſimultatibus gliſcãt: facilè verò eos poſſe reconciliari docemus, ſi modo vtrinq; quicquid vltro citroq; moleſtiarũ ſit, animo expuerint: nos & alios bonos viros quod

æquum

æquum ſit vtrinque, pronunciaturos.

Exhortatoriæ quoq; & dehortatoriæ loci ſunt, qui ſuaſoriæ & diſſuaſoriæ.

Eraſmus hos locos enumerat.

Laudem { Rei, at: Si res pia, honeſta, iucundà, glorioſa ſit, &c. / Perſonæ.

Spem bonorum, Metum malorum, Amorem eorum, quorum gratia res aliqua ſumitur. Odium inimicorum, Commiſerationem, AEmulationem, Expectationē inimicorū,

Exemplum apud Eraſmum offendes.

Cicero lib. Epiſtolarum 2. epiſtola quę incipit, Epiſtolarum, &c. Eſt enim tibi grauis aduerſaria conſtituta, & parata incredibilis quædam expectatio, quam tu vna re facillimè vinces, ſi hoc ſtatueris, quarum laudum gloriam adamaris, &c.

C. Plin. Octauo ſuo, S.D.

NOminem te patientem, vel potius durum ac penè crudelem? quia tam inſignes libros tam diu teneas? quouſq; & tibi & nobis inuidebis? tibi maximā laudem, nobis voluptatem. Sine per ora hominum ferantur, ijſdemq; quibus lingua Romana ſpacijs peruagentur, magna etiam longaque expectatio eſt, quam fruſtrari adhuc, & ſufferre non debes. Entonuere quidam tui verſus, & inuito te clauſtra refregerunt: hos niſi retrahas in corpus, quandoque vt errores aliquem, cuius di-

cantur, inuenies. Habe ante oculos mortalitatem, à qua asserere te hoc vno monumento potes. Nam cætera fragilia & caduca, non minus quàm ipsi homines occidunt, desinuntque. Dices, vt soles, amici mei viderint.

Opto equidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam laboriosos, vt tantum curæ intentionisq; suscipere & possint & velint: sed despice ne sit parũ prouidum sperare ex alijs, quod tibi ipse non præstes. Et de deditione quidem interim, vt voles recita saltem: quò magis libeat emittere, vtq; tandem percipias gaudium, quod ego olim pro te non temerè præsumo. Imaginor enim, qui cõcursus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam silẽtium maneat: quo ego, cùm dico, vel recito, non minus, quàm clamore delector, sit modo silentium acre & intentum, & cupidum vlteriora audiendi: hoc fructu tanto tam parato, desine studia tua infinita ista cunctatione fraudare, quę cum modum excedit, verendum est, ne inertiæ, & desidiæ, vel etiam timiditatis nomen accipiat.

Exemplum Epistolæ dehortatoriæ.

Bella vero res est, quod tu, vt audio, dies noctesque ebrietati deditus es: an non vides, quàm turpis res sit, quam homine indigna? Etenim homo vna ratione cęteris animãtibus anteit. Hęc verò vini iuxta certi sizq; ingurgitatione adeò, obmutuit, vt ex homine porcus quidam Acarnanius reddatur,

reddatur. An non verò te ab ebrietate deterrent, tot malorum agmina, quæ Plinius lib. 14. recenſet? Hinc, inquit, pallor, & genæ pendulæ oculorum vlcera, tremulæ manus effundentes plena vaſa, & furiales ſomni, & inquies nocturna: hæc ille. Et quid obſecro inimici tui, qui tuam vitam adeò obſeruant, dicturi ſunt? Imo quid & amiciſſimi tui dicent? En hic nos ab ebrietate auocare deberet, & nemo eſt, qui eam impenſius amet, colat. Quid huic credemus, qui ſemper ebrius eſt? Ebrij verò non rarò cum Parmenone Terentiano nihil tacere poſſunt, quantumuis arcanum, quantũuis bona fide illis creditum. Tu ſi ſapis, vide ſobrius magis poſthac, quam ebrius conſpicaris. Vale.

Petitoria.

Petimus honeſta, vtilia, facilia & factu & præſtitu, poſſibilia, neceſſaria.

Exemplum.

Petit amicus ſibi decem aureos mutuo dari.

Quod ego tibi vltrò deferrem, ſi facultatũ mearum eſſet, id non dubito, quin & tu mihi lubens delaturus ſis, mi Petre. Opus eſt mihi decem aureis quos oro vt mihi des mutuo: non dici poteſt, quam illis egeã Etenim domine obolus quidem amplius mihi eſt, vt tu ſcis, mihi multi ſunt liberi, multæ operę, quibus victus ſuppeditãdus eſt, nõ quærunt vnde habeas, ſed oportet habere. Neque verò tibi

homini tantum non cum Crœso conferendo difficile factu erit, decem aureos hominis, & egentis, & amici vsibus exponere. Tu sanè non decem, sed ducentos citra tuarum rerum dispendium, mihi vtendos dare posses: sed parum abs te peto, vt minori negocio impetrem. Quot verò mihi cõmoditates parua ista pecunia allaturus sis vide: meam existimationem, ne omnino deleretur, conseruabis: liberi, operæ, vxor, ne fame pereant, cauebis: me in tuo (quod aiunt) ære esse facies. Vbi vicissim si nõn pecunia, at industria, consilio, literis, si quas modò calleo, tibi tuisque consulere potero, dispeream, si non me tuum esse dixeris. Vale.

Seruius, id quod & Erasmus obseruauit, enarrans orationem illam Iunonis 1. AEneid. AEole, &c. dicit id quod petimus, possibile, & iustum esse debere, tum modum præstandi præscribendum, postremo remunerationem addendam.

Exemplum.

Optime vir, est quod à te petã. Sicophanta, quẽ nosti, mihi multis modis molestus est: quare à te peto: quò illũ cõpescas, vt molestiarum finẽ faciat: Ecquid verò iustius quàm amicũ amico aduersus Sycophantę oblatrationes patrocinari? verò patrocineris, nihil facilius: noui enim authoritatẽ tuam: admone saltem hominẽ istum, quem nosti, vt linguæ imperet, vt maledicendi finẽ faciat: admonebis verò ipsum, cùm te, vt solet, salutandi gratia accesserit: ego vicissim sedulò quæ voles, faciam.

Aliud

Aliud exemplum, quo docetur in Epistola petitoria sæpè demonstratiuæ locis nos vti.

C. Plinius, Maximo suo. S. D.

QVod ipse amicis tuis obtulissem, si mihi eadem materia suppeteret, id nunc iure videor à te meis petiturus. Arrianus Maturius Altenatium est princeps, non de facultatibus loquor, quę illi largè supersunt, sed de castitate, iustitia, grauitate, prudentia. Huius ego consilio in negotijs, iudicio in studijs vtor: nam plurimùm fide, plurimùm varietate, plurimùm intelligentia præstat: (nihil possum dicere ardentius) vt tu: caret ambitu, ideò se in equestri gradu tenuit, cum facilè posset ascendere altissimum: mihi tamen orandus, excolendusque est. Itaque magni existimo, dignitati eius aliquid astruere inopinantis, imò etiam fortasse nolentis: astruere autem quod sit splendidum, nec molestum, cuius generis, quæ prima occasio tibi, in eum conferes, rogo. Habebis me, habebis ipsum gratissimum debitorem, quamuis enim ista non appetat, tam gratè tamen accipit, quàm si concupiscat.

Commendatoria.

Qua vel aliquam personam, vel alicuius ingenium commendamus.

Exempla plurima offendes in libro Epistolarum Ciceronis 10.

Consolatoria Epistola.

Qua aliquem consolamur.

Exemplum.

Seruius Sulpitius, M. Tullio Ciceroni, S.

POsteaquã mihi renunciatũ est de obitu Tulliæ filiæ tuæ, sanè quàm pro ea, ac debui, grauiter molestèque tuli, cõmunemq; eam calamitatẽ existimaui: quasi istic adfuissem, neq; tibi defuissẽ coramq; meum dolorem tibi declarassem. Et si genus hoc consolationis minimum atque acerbũ est: propterea quia per quos ea fieri debet propinquos, ac familiares, ipsi pari molestia afficiũtur, neq; sine lachrymis id conari queũt, vt magis ipsi videantur aliorum cõsolatione indigere, quàm alijs posse suũ officium præstare: tamen quę in præsentia in mentem venerunt, decreui ad te perscribere: non quò ea te fugere existimem: sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias. Quid est quod tãtopere te commoueat tuus dolor intestinus? cogita quemadmodũ adhuc fortuna nobiscũ egerit, ea nobis erepta esse, quę hominibus nõ minus quam liberi chara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes, hoc vno incõmodo adhibito, quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atq; omnia minoris æstimare? an illius vicem (credo) doles, quoties in eã cogitationẽ necesse est, & tu veneris & nos sæpè incidimus, hisce tẽporibus nõ pessimè cùm ijs esse actũ, quibus

sine

sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad viuendū magnopere inuitare posset? qnæ res? quæ spes, quod animi solatiū? vt cum aliquo adolescente primario coniuncta ętatem ageret? Licitum est tibi credo, pro tua dignitate ex hac iuuentute generum diligere, cuius fidei liberos tuos ex tuto cōmittere putares: an vt ea liberos ex sese pareret, quos cùm florentes videret, lætaretur, qui rem à parente traditā per se tenere possent, honores ordinatim in Republica petituri essent? in amicorum negotijs libertate sua vterentur? Quid horum fuit, quod non prius, quàm datum, ademptum sit? At verò malum est liberos amittere: malum, nisi hoc peius sit hæc sufferre & perpeti. Quę res mihi non mediocrem consolationē attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorem minuere posset. Ex Asia rediens, cùm ab AEgina, Megarā versus nauigarem, cœpi regiones circū circa prospicere: post me erat AEgina, ante Megara, dextra Pyreus, sinistra Corinthus: quæ oppida quodā tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata, & diruta ante oculos iacēt. Cœpi egomet mecum sic cogitare, hem nos homuncuii indignamur, siquis nostrūm interijt aut occisus est, quorum vita breuior esse debet, cùm vno loco tot oppidorū cadauera proiecta iacent. Vis ne tu te, Serui cohibere, & meminisse hominem esse natum? Crede mihi cogitatione ea nō mediocriter sum cōfirmatus. Hoc

idem tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas: modo vno tempore tot viri clarissimi interierunt, de imperio prætereà tanta diminutio facta est, omnes prouinciæ conquassatæ sunt: in vnius mulierculæ animula si iactura facta est, tantopere commoueris; quæ si hoc tẽpore non suum diẽ obijsset, paucis post annis tamen ei moriendũ fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam ab hisce rebus animum ad cogitationem tuam auoca, atq; ea potius reminiscere, quæ digna tua persona sunt: illam, quàm diu ei opus fuerat, vixisse, vnà cum Republica fuisse, te patrem suum prætorem, consulem, augurem, vidisse adolescentulis primarijs nuptam fuisse omnibus bonis propè perfunctam esse, cũ Respublica occideret, vita excessisse. Quid est quod tu, de illa cum fortuna hoc nomine queri possis? Deniq; noli te obliuisci Ciceronẽ esse, & eum qui alijs consueueris præcipere, & dare consilium: neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiã, ipsi se curare non possunt: sed potius, quæ alijs tutè præcipere soles, ea tutè tibi subijce, atq; apud animum propone. Nullus dolor est, quẽ non longinguitas temporis minuat, atque molliat: hoc te expectare tempus tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tuapte occurrere. Quod si quis etiam inferis sẽsus est, qui illius in te amor fuit, pietasq; in omnes suos, hoc certè illa te facere non vult. Da hoc illi mortuæ, da cæteris amicis, ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da

patriæ,

patriæ, vt si qua in re opus sit opera & cõsilio tuo vti possit. Deniq; quoniã in eam fortunam deuenimus, vt etiã huic rei nobis seruiendũ sit, noli committere vt quisquã te putet nõ tã filiã, quàm Reipub. tempora, & illorũ victoriam lugere. Plura me ad te hac de re scribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Quare si hoc vnũ proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundã pulcherrimè te ferre fortunã, magnamq; ex ea re laudẽ adipisci: fac aliquando intelligamus, aduersam quoq; te æquè ferrè posse, neq; id maius, quam debeat, tibi onus videri, ne ex omnibus virtutibus hæc vna tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, cum te tranquilliorem animo esse cognoro, de ijs rebus, quæ hic geruntur, quemadmodumque se prouincia habebat, certiorem faciam.

De genere Epistolæ Iudicialis.

Hoc constat intentione, id est accusatione, cùm scilicet alicui crimen obijcitur: & defensione, cùm quis crimen obiectum defendit & deprecatur. Hic multum refert, callere rationes amplificandi crimen, quod alicui obijcitur: refert, confutandi rationem habere cognitum,

Amplificatur res a circũstantijs. { Verbis, sententijs, figuris. / Loco. / Tempore, / Persona, / Modo, / Frequentia, } Vide Fabium lib. 8. Cicer. in Partit.

Ratio confutandi.

Aut totum est negandum, quod obiectum est, & fictum & falsum esse docendum: aut redarguēda ea, quæ pro verisimilibus dicta sunt. Primo dubia esse posita pro certis, itē impossibilia esse, repugnantia esse, absurda dictu esse, inuidia magis, quam iudicio effusa, &c.

Exempla.

Accusatur amicus stupri.

An ne verò Iupiter tibi mētem abstulit omnē? Ecquate intemperies agit, quod Chremetis nostri filiæ vitium offers? An verò illud leue crimen est? an vero tollerādum, quod in domo optimè de te merita, ipso die natalis Christi, puellā istam famæ antehac semper integræ stupras nec satis est, quòd cum puella tui dissimilis es, nisi etiā sororibus alijs videntibus & supra modum queritantibus, tuam expleas libidinem? Quid de te futurum sit, nescio, nisi quod audio exemplum in te futurum maximum. Bene vale.

Exemplum confutandi.

Confutat quidam suspicionem vulnerati a se vicini.

Ioannes fuit hodie apud me, indicans vicinum Phaniam graue vulnus accepisse, de nullo verò suspicionem ortam, nisi de me. Ego verò ausim deierare per deos omnes, me esse extra noxam. Nam quòd isti dicunt, me heri gladio accinctum, ædes vicini præterijsse, non arguit me propterea eum vulne-

vulneraſſe, cùm multi alij præterierint, non minus armati, quam ego, cur non in eos quoque recidit ſuſpicio? Accedit huc, quòd ego heri circiter horam vndecimam, à meridie domum Phanij præterij, & poſthac ne ſemel quidem in publicum progreſſus ſum: quinam igitur fieri poteſt, vt ego illum vulnerarim? cùm conſtet eum veſperi hora nona vulneratum. Age verò quinam congruit, vulneratum illum à me, quem ſemper parentis in loco habuerim? teſtabitur ipſe, ſi mihi non adhibetur fides. Non me fugit quinã iſti ſint, qui me hoc nomine traducant, ſunt certè mei inimiciſſimi, qui nihil prius malunt, quam me extinctum. Ex his igitur colliges, quàm falſiſſimè traducar, &c.

Ad hoc epiſtolæ genus refer { Querelam. / Expoſtulationẽ. / Expurgationẽ. / Exprobrationẽ. / Inuectiuam. } quæ vt nominibus variant, ita tractandi ratione ab argumentis Epiſtolæ iudicialis non multum diſcrepant.

Exempla in auctoribus obſerua.

De exordijs Epiſtolarum.

Exordia ducuntur à rebus ipſis, de quibus ſcribimus.

Exempla.

Miram ſanè rem, & tibi, vt opinor, auditu iucundiſſimam, nõ potui nõ ad te ſcribere: cùm ſciam te rerũ nouarum percupidũ eſſe: en rem vt nouã,

ita miram auditu nuper ad te perſcripſi, at haud θαυμασότερα.

Exordia ducuntur à perſona noſtra.

Exemplum.

Meum erga te animum multis ſæpè nominibus tibi cognitum eſſe non dubito: ſcis, opinor, quàm patrem tuum multis ſæpè rebus ornarim; non te latet, quàm toti familiæ tuæ ſemper prodeſſe ſtuduerim, &c.

Aliud.

Si vnquam alias de te benè meritus ſum, me antè benè meritum eſſe negare non potes, fac te quoque, &c.

Aliud.

Horreo, vt me Chriſtus amet, dicere, quàm infeliciter ceſſerit mihi mea profectio. O quàm non ibi calamitatem vidi! O quam non inopiam expertus ſum!

Aliud.

Quamuis alij multi hic ſunt, quos mihi adfuturos ſpero, tu tamẽ in primis ades omnium mearũ neceſſitatum prora & puppis, quod aiunt.

Exordia ducũtur ab ijs, ad quos ſcribimus, item ab illis de quibus ſcribimus. Et his exordiorũ generib. in Epiſtola cõmẽdatoria auctores vti ſolent.

C. Plinius lib. Epiſtolarum ſecundo.

C. Plin. Priſco ſuo.

ET tu occaſiones obligandi me auidiſſimè amplecteris, & ego nemini libentiùs debeo. Duabus

bus ergò de cauſſis à te potiſſimum petere conſtitui, quod impetratũ maximè cupio. Regis exercitũ ampliſſimũ, hinc tibi beneficiorum larga materia: lõgum præterea tẽpus, quo annos tuos exornare potuiſti, conuertere ad noſtros nec hos multos: malles tu quidem multos, ſed meæ verecundię ſufficit vnus, aut alter aut potius vnus. Is erit Voconius Rom. pater ei in equeſtri gradu clarus, clarior vitricus, imò pater alius: nam huius quoque nomini pietate ſucceſſit. Mater è primis citerioris Hiſpanię. Scis quod iudiciũ prouincię illius, quanta ſit grauitas. Flamen proximè fuit: hunc ego cũ ſimul ſtuderemus, arctè familiariterq; dilexi: ille melius in vrbe, ille in ſeceſſu, cõtubernalis: cũ hoc ſeria, cum hoc iocos miſcui: quid enim illo aut fidelius amico? aut ſodale iucũdius? mira in ſermone, mira etiam in ore ipſo vultuq; ſuauitas, ad hæc ingenium excelſum, ſubtile, dulce, facile, eruditũ in cauſis agendis. Epiſtolas quidem ſcribit, vt Muſas ipſas Latinè loqui credas: amatur à me plurimum, nec tamen vincitur. Equidem iuuenis inueni, quantum potui per ætatem auidiſſimè contuli, & nuper ab optimo Principe trium liberorum ius impetraui, quod quanquam parce & cũ delectu daret mihi, tamen tanquam liceret indulſit, hæc beneficia mea tueri nullo modo meli⁹, quam vt augeam, poſſum: præſertim cùm ipſe ille tam gratè interpretetur, vt dum priora accepit, poſteriora mereatur. Habes, qualis, quàm probatus,

charuſq; ſit nobis: quem rogo, pro ingenio, pro fortuna tua exornes: in primis ama hominē, nam licet tribuas ei quantum amplisſimum potes, nihil tamen amplius potes amicitia tua, cuius eſſe eum vſq; ad intimam familiaritatem capacē, quo magis ſcires, breuiter tibi ſtudia, mores, omnē deniq; vitam eius expreſſi. Extenderem preces, niſi & tu rogari diu nolles, & ego tota hac Epiſtola feciſſem: negat enim, & quidem efficacisſimè, qui reddit cauſſas rogandi. Vale.

Exempla plurima ſunt libro 13. Epiſtolarum Ciceronis.

Exordia ducuntur ab officio, ſic Cicero libro primo Epiſtolarum: Ego omni officio, &c.

Ab aduerſariorum perſona, ſi eos in odium, inuidiam, contemptionem adducimus. Hoc exordij genere in Epiſtola iudiciali vti licebit.

A tempore: vt Ecquid vnquam de te benè merendi tempus oblatum eſt commodius? Semper occaſionem te mihi arctiore amicitiæ fœdere aſtringendi quæſiui, en iam reperi.

A moribus, vt: Mos eſt, vt in his diebus natalitijs amici, amicus cū amico xenijs certet, &c. Mos eſt apud Lipſenſes, vt in diebus Bacchanalibus alius alium ad prandium aut cœnam inuitet, &c.

Exordia ſumuntur à ſententijs, vt: recte dixit Comicus: Quot capita, tot ſenſus.

A votis: O quàm vellem mihi dari vberrimam de te benè merendi anſam. Si quid votis proficeretur,

retur, optarem, vt iam Crœsus alter esses, vt qui tantos sumptus quotidiè ferre cogeris.

A comparatione: Si vnquam alias, hoc certè tempore Deus Opt. Max. cõprecandus est, vt tandem orbis funestis illis disfidijs defungatur, alioqui vereor ne prorsus collabatur.

Salutandi formulæ.

Paulus sic salutat: Gratia vobis & pax à Deo patre, & Domino Iesu Christo.

Cicero.

Sic salutat: M. T. C. Publio Lentulo. S.D. Plinius Iunior addit, Suo. Alias formulas ex Erasmo pete.

De superscriptione epithetorum.

Principum epitheta fere sunt huiusmodi.

Cæsar Auguste, Rex inuictissime.
Fortissime Imperator.
Dux illustrissime.
Clementissime Princeps.
Vir generosissime, præpotens.
Ornatissime, clarissime, splendidissime.

Opt. Maxim. quod à Ioue sumptum quidã in Christum transferunt, in quem verius competit, quàm in Iouem.

Magistratuum epitheta sunt hæc.

Consul vigilantissime.
Senator splendidissime.

Censor grauissime.
AEdilis magnificentissime.
Iudex incorruptissime.
Prætor integerrime.

Ex his, qui literas profitentur appellare poteris
- Theologos, graues, synceros, absolutos, sacros ac diuinos.
- Rhetores, disertissimos, suauiloquentes, facundissimos.
- Poetas, sacros, diuinos, claros, nobiles, inclytos.
- Iurisperitos, iuris vtriusq; consultissimos, prudentissimos legũ, iuris vtriusq; iuxta doctos.
- Dialecticos, acutos, argutos, inuictos.
- Medicos, peritissimos, fidos, eximios.
- Mixtè doctos, vndequaque doctissimos.

Cognatorum & affinium epitheta fere sunt hæc.

Pater optime.
Frater charissime.
Vxor suauissima.
Mater indulgentissima.
Patrue obseruande.
Nepos mellitissime.

Iucundissime.
- Gener.
- Affinis.
- Sodalis.
- Commilito.

Ex-

Ex reliquorū genere, qui nulla certa nota ſunt inſignes, diuites, & authoritate præſtantes viros appellabimus, optimates viros, ſummates, primarios, nobiles, graues, grauiſſimos: ornatos virtute, aut eruditione præcellentes, obſeruandos, honorandos, colēdos, abſolutos, eximios, egregios, prudentes, ſuſpiciendos, ſpectatos, perſpicaces, circumſpectos.

Matronas nobiles, { Primarias, optimas. integerrimas, probas, pudicas.

Puellas lepidas { Bellas, amabiles, optimè moratas appellabimus pudicas, mellitas, iucundas.

Item adoleſcentes ingenioſos, { Probos, modeſtos, optimæ ſpei vocare licet. eximiæ indolis. generoſæ indolis.

Milites { Fortiſſimos. Exercitatiſſimos.

Opifices { Induſtrios. peritos, exquiſitos. accuratos.

FINIS.

INDEX PERVTILIS RERVM, quæ in vtroque libro continentur.

ADeò. 87.a
Adolescẽtiũ epitheta. 121.a
Adiectiui locatio. 97.a
Aduerbium interponitur substantiuo & adiect. 79 a.79.b.78.b. 86.a
AEdificia. 13.a
AEquale & inæquale. 84.a
AEquum. 92 a
AEdificiorum descriptio cum exẽplis. 109 a
Agrorum laus. 13.a.110.a
Amor. 22.a
AEnigma. 62.a
Aitiologia. 76 b
Allegoria, 61.a.83.a
Ambiguum. 30.a
Amo te multum, quomodo variatur. 78.b
Amplificationis formæ. 95.b58.a
Anacœnosis. 68.a
Anadiplosis. 64 b
Anagaion. 68.b
Anaphoræ species,& quid. 64.a
Anastrophe. 66.a
Annibal. 160.a
Amilcar. 106 b
Antanaclasis. 66 a
Antimetabole. 74.a
Antinomia. 29.b
Antithesis. 73.b
Antiphrasis. 56.a
Antonomasia. 59.b.75.b.96.a
Antopophora. 75.a
Apodioxis. 76.a
Apologi AEsopi & Menij Agrippæ 98.b
Aporia. 68.a
Aposiopesis. 69.a
Apostrophe. 69.a
Argumentorum ordo. 56.a.b
Rhetor,spec. 101.b
Artifices, 22.b
Credibile. 97 b
Assuescendum principijs. 80.a
Asteismos. 91.b
Asyndeton. 65.a
Atque. 84.a
Attentos quomodo reddimus. 5.b
Atecnoi. 97.b
Auxe. 33.a
Auxesis. 70.b.84.b

B

Beneuolentia quomodo captatur. 5.a
Bonum. 29.a

C

Casus permutatio. 82.a
Catachresis. 83.a.59.b.88.b
Causarum genera tria. 4.a
Quartum addi potest. 4.a
Character. 57.a
Carientismus. 61 a
Conographia. 69.b
Cognatorum & affinium salutationes. 3.b
Collatio quid. 85.b
Collectio quid. 102. a.b
Commendatio. 93.a
Comminatio. 69.b
Commutatio verborum, & tractationis. 98.b
Cõparatio. 29.b.& 37.b.93.b.97.a
Comparatiua. 84.b
Complexio. 103 a
Compositio. 85.a
Concessio. 25.a
Conclusio simplex. 104.a
Confutatio quid. 6.a
Eius loci. 9 b
Exemplo cum exemp. 117.b
Congeries. 72.b

Congeries verborum ac sententiarum. 94.a
Coniunctio posita inter adiect. & subsitant. 79.a
Coniuratio mutatur. 82.a
Connectendi particula. 87.b
Consuetudo. 29.a
A consequentibus. 88 a
Contentio. 73 a.97.a
Cõtentio demõstratiua qnid. 98 a
Per contrarium. 87.a.b
De copia paranda præcepta quid, & quotuplex. 80.b
Copiæ exercit. ad quid vtilis. 81.a
Copiæ rationes. 81.a.b.82.a.b.83.a b 84 a.b 85 a
Copiosæ tractationis exempla. 95. b.96.a.b.97.a
Correctio. 74.a

D

Factorum Dauidis laus. 10.a.7 b
Decius se deuouit. 99 b
Declinationis mutatio. 82.a
Defensoris loci. 28 b
Definitio. 29,b.82.b
Deliberatiui generis finis. 4. b
Loci deliberatiui. 19.a
Demonstratiuum. 95.a.106 a
Factorum. 8,b.107.b.108. a
Rerum, 11.b
Personarum. 7.b
Eius generis canones. 6.b
Item eius finis. 4 b
Denique. 87. b
Deprecatio. 29.b
Descriptionis rerum locupletatio cum eius exemplo. 92.a.b.118. b.119,a
Deuotio: 69.b
Dialysis. 74 b
Diacœologia. 68.b
Dicendi 3. genera. 1.a
Dictio variatur figuris grammatices. 82.a
Difficultas vnde colligitur. 9 b
Difficile.7 a.cuius exemp. 10.a.b 11 a
Dilemma,& eius inuersio. 103 .a.b.
Dispositio quid. 55.b
Diuisio. 74.b.87.a
A diuersis. 88.b
Dociles quomodo reddimus. 5.b

E

Ebrietas. 113.b.114.a
Ecclesiasticorum. 3,a,
Egressio quid, & quot modis fit, vnde sumatur. 92.ab
Ethmos. 66 b
Eironeia. 61.b
Eicon siue imago. 97.a77.a
Ecphonesis. 66 b
Elleipsis. Ecleipsis. 69 b
Elocutio 55 a.b.quid. 56.a
Emphasis. 59.a
Enallegen. 61.a
Enallege. 79.a
Enumeratio quid,partes exemp 103 a
Entecnoi. 96.a
Epanaphora. 64.a
Epanalepsis. 64.b
Epanados. 75.a
Epitheton. 69.b
Epitheta. 3.24 a.92,b
Epiphonema. 69.a.b.98.a
Epiphora. 64 a
Epist definitio. partes, & diuersa genera. 1.a 6.2.a.b.4.a.b.106.a
Cur inuenta. Ibidem
Earum exordia cum exemplo. 118 a
Epist. Accusatoriæ partes,& paradeigma. 32.b.91.a b.37.a.b.30. a b 39.a.b. Item eiusdem status ad amicum.40.a.b. Ité ex Christoph.Hegend. 74.b
Purgatoriæ partes. 35.a
Exempl. 36.a.b
Expostulatoriæ partes, exemplis. 34.b 35.a

Excusatorię ſtatus aſſumptiui. 40.b. 41.a. cum exemplis.
Epiſt. Commendatitiæ partes. 17.b. 18.a. exempl. 19.b. 114.b. 115.a.
Conſolatoria. 24.b. eius exem. 24.b. 25.a 26.a. 115.b. 116.a
Conſiliatoria, eius paradeigma. 26. b. 27.a
Partes inuerti poſſunt. 27.a.
Demonſtratiua perſonarum. 13.b.
Partes. 13.b. 14.a
Exemp. Ibidem. 15.a. & 109.a.
Epiſt. defenſoriæ
Partes 32.a.b. Exemp. 32.b. 33.a.b. 34.a.
In ſtatu abſoluto. 43 b.
Exemp. 44.a.
Didacticæ paradeigma. 48.a.b. 49. a.b. 50.a.b.
Hortatoria quibus partibus cõſtat. 21.a.b.
Eius exemplum. 21.b. 22.a. 113.a
Dehortatoriæ. 113.b. 114.a
Monitoriæ. 23.a.
Epiſt. mixtum genus. 6.b
Epiſt. generis deliberatiui partes. 17.a.b & 83. b. cum exemplo. 110.b
Suaſoriæ partes. 20.a
Exemp. 20. a.b. 22 a. & 110.b. 111.a
Diſſuaſoriæ. 22.a
Exem. 21.a. 111.a. 112.a.b
Epiſt. laudis perſonarũ, exempl. 7. b
Petitoriæ partes. 23 a.b
Exemp. 23.b. 24 a. 114.a.b
Indicatiuæ duo genera. 51.a
Paradeigma compoſitæ. 51.b. Simplicis. 53. b
Eiuſdem aliud. 54 a. & aliud. Ibidem, b. & ſimilia
Epiſt. intermiſſio. 24. b. & 35.b
Epitheta cognatorum & affinium. 120.b
Eruditorum epitheta quæ ſunt, & vbi adhibentur. 29.b
Epiphonema. 67.a.b. 98.a.b. 63.a
Eraſmi copiæ liber. 78.b
Erotema. 67. b
Et copula. 79 b
Eruditio virtutis mater. 12.a.b
Ad eam exhortatio. 20.b & 21.a.b
Etymologia. 82. b. & 88 a
Exaggeratio. 95.b. & 96. a
Exclamatio. 85 b
Exemplis affinia. 97.a
Eorum collatio, & vnde ſumatur. Ibidem.
Expolitio. 71.a
Quot partibus conſtet cum eius exemplo. 98.a.b
Exordij partes. 50.a
In eo notando & cauendo. Ibidem.
Omitti poteſt. 99 b
Et eius dilatatio. 100.a

F

Facile. 11.b
Facultas quomodo inueſtigatur 28.a
Fides. 97.a
Figura quid. 57.b
Figuræ Sintaxeos. 58.a
Figuræ mutatio. 87.b. 88.a
Fama. 102.a
Flumina. 13.b
Eadem deſcriptio cum exempl. 109 b
Futuri variatio, 86. a
Futuri accuſatio, & defenſio. 30.b 32.b
Fortitudo. 50.a

G

Genus iudiciale. 27.b
Eius finis. 4.b
Eius ſtatus tres, Ibidem
Generis dialectici partes. 47.b 48.a
Generis vel verbi heteroſis. 81.b
Genus ſuaſorium. 95.a
Gerund. pro ſupino. 79.b

Gerundium pro gerundio. 81.b
Gnome. 77.b
Grammaticus. 79.a
H
Hendiadis. 60.a
Heroteſis. 61.a.81.88 a
Honeſtum. 9.a.11. b
Sub honeſto quid comprehenditur 9.a.11.b
Honeſt.exem. 12.a
Hyperbole quid. 84.b,62.a
Hypotypoſis. 71.a.91.a
Hypallage. 62.b
Hyperbole. 62.a
Hypozeuxis. 63.b
Hypophora. 67.b
Hyſteron proteron. 69.b
I
Imago quid. 97.b
Imperatiui variatio, 86. b
Incrementum. 72.b 93.a
Inductio quid exem. 102.a
Inſinuatione quando vtimur. 5.b
Vnde dicta 5.b.& quomodo. 6.a
Interrogatio. 85.b
Inuectiua. 37.a
Inuerſio quid,partes,exemp.106 b
Iudicia quid. 98.a
Iudicatum. 26.a
Ius ciuile. 110.b.111.a
Iuſtum. 9.a.11.b
Iuſtitia. 50.a
Ironia. 89.a
Iſodynamia. 84 a. & vnde conſtet. 49.a
Ita. 51.b
K
Klimax. 71.b
L
Laus à natalibus,a pueritia.6. b. adoleſcentia,&c.7.a. cum exem. 7.b.8.a vide.
Vtbium laus
Laudis perſonarum exemplum.7.b
A quibus factum laudatur.9.a.10.a
Laudabile quomodo, & quæ ad laudabile referũtur virtutes. 9.a
Exemplum rerum quæ laudari aut vituperari ſolent 12.a.106.a.b
De alijs rebus laudandis. 107. b 108.a.b.109,a.b 110.a
Laus à copia rerum. 15.b
Lex. 29.a
Licentia figura. 68.a
Leiptote. 60.a
Locorum deſcriptio. 94.a
M
Magiſtratuum epitheta. 3.a 120.a,b
Matronarum. 3.b 95.b
Metonymia. 60. b. 83. b
A mechanicis dehortatio. 20. b
Meioſis. 70.b.85.a
De Mercatura. 111.b.112.a
Metaplaſmi ſpecies. 95.b
Metaphora. 59.a.80.b
Metabaſis. 76.a
Metaphora quid, & vnde ſumatur. 82. b
Metalepſis. 83 b
Micteriſmus. 62.a
Militum epitheta. 121.a
Meriſmos. 74.b
Militum. 4.a
Modi heteroſis. 82.a
Mouendi modi. 94.b
Montes 13.b.eorum laus. 110.a
Mortis conſolatio. 25.a.b.&c. 115.b.116.a
Muſis nihil ſuauius. 21.a
N
Narratio. 6. a
Narrationes fictæ, vt Luciani & de ſpecu apud Platonem. 58 b
Narrationis dilatatio. 100.a
Narratio omitti poteſt. 99.b
Natura. 29.a.98.b
Neceſſarium. 9.a.11.b
Neceſſarij exemp. 12. b
Noema. 77.b.98.b

Nomina in alias partes orationis commutantur. 99.a
Notatio quomodo fit. 82.b.88.a
O
Obliqui locatio. 78.b
Obtestatio. 69.b
Occupatio. 75.b.88.a
Per occupationem. 88.a
Odium. 22.b
Omoioptoton & Omoioteleuton. 65.b
Omoiosis. 76.b
Onomatopoia. 59.b
Opificum epitheta. 121.a
Opificium. 4.a
Oppositio quid, eius partes, exempl. 104.b
Orationis Rhetoricæ partes. 4.b
Orationis partes non semper omnes in omnibus. 6.b
Orationis partium venusta compositio. 78.a
Primum præceptum. 2.& 3.78.b. 5.a.79.a
Orationis variandæ decem præcepta. 88.a
Oratio activa in passivam. 88.b
Orationis Rhetoricæ partium multiplicatio. 99.b
Orimos. 76.b
P
Pactum. 29.a
Paradeigma. 37.a.b.36.a.b. 77.a
Paradeigma compositæ. 55.a.b
Simplicis. 53.b
Eiusdem aliud. 54.a & aliud ibidē. Item aliud ibidem b. & similia.
Paranomasia. 66.a
Paradoxon. 68.a
Paraleipsis. 75.b
Parabola. 73.a.77.a.97.b
Paragoge. 83.b
Parechio. 66.a
Parresia. 68.a
Parenthesis. 78.a
Pathopœia. 72.a
Parecbasis quid. 92.a
Partitio. 74.b.90.a
Personæ commendatio. 7.a
Loci personarū exempl. 18.b.91.b
Personæ enallage. 81.b
Perorationis forma. 7.b
Perorationem. 10.a
Peristasis. 71.a
Perinde ac peræquè. 57.a
Periphrasis. 74.b.82.a.88.a
Peroratio. 5.a 6.b
Pium. 9.a.11.b
Ploce. 55.b
Pleonasmus. 69.b
Polysyndeton. 65.a.85.b
Posma. 97.b
Præteritio. 76.a
De Præpositionibus. 79.a
Principum epitheta. 3.a.120.a
Professorum epitheta. 4.a.120.b
Prosopopœia. 62.b
Prolepsis. 63.b
Procatalepsis. 74.a
Propositio generalis quot modis efferatur. 87.b
Ex narratione infertur. 5.a eiusq; loco ponitur. 6.a
In propositionibus quot spectanda cum exemplo. 94.a
Aliquando minuenda. 6.a
Item vnde petantur. 95.a
Probationes quotuplices, & vnde ducantur. 95.b.100.b
Propositionis dilatatio. 100.a
Prudentia. 49.b
Puellarum epitheta. 4.a.120.b
Purgatio. 29.a
Q
Quæstiones vnde nascuntur. 29.a
Qualitas quot modis mutetur. 81.a
Quam & tam. 87.a
R
Ratio. 23.90.b.4.5.91.a.6,92.a.7 92.

92.b.8.93.a.9.93.b.10.94.b.11. 95.a.12.99.b
Ratiocinatio. 30.a.94.a.quid, partes exemp. 101.b
Regiones. 13.a.earumq; descrip. 109.a
Rhetor. 78.b
Relatiua. 84.b
A relatis. 86.a
Remotio, 29.a
Pro Republica nullum fugiendum periculum. 99.a
Inter verborum & rerum copiam discrimen. 81.a
Rerum copia quot modis fit. 54.a b.55.a.b.56.a.b.57
Reticentia quot modis fit. 69.a

S

Salutationes illustrium & aliorum quædam formulæ. 119.a
Sarcasmus. 61.b
Schema differt à tropo. 58.b
Schematum ordo. 63.a.66.b. 70.a
Scriptum. 30.a
Sententia quid. 99.a
Earum formæ,& quid eum ea cognationem habet. 98.b
Signa. 28.b
Signum infinitum. 86.b
A signis probationes. 85.b
Similitudinibus vti licebit. 89.b
A simili. 87.b
Situs loci exemplũ. 15.a. b.16.a.b
Speciei nominis vel verbi variatio. 81.b
Speciei cum genere collatio. 90.b
Status quid.17.b.& ex quibus quæstionibus nascitur, ibidem
Status coniecturalis.27.b.28.a.eius partes. ibidem.b
Status Iuridicialis. 28.b
Legitimus. 29.b
Substantiua adiec.cõmutãtur.08.b
Subiectio. 85.b.104.b
Superscriptio. 2.b
Earum formulæ. 2.b.3.a
De suppositio verbo & obliquo. 78.
Supini primi variatio, sex modis. 85.b
Superlatiui variatio, 86.b
Superare. 86.b
Syllepsis. 63.a
Symploce. 64.a
Syllogismus. 71.b
Synonymia. 81.a.88.a
Synathroismus. 72.b
Synochoresis. 68.b.
Syneedoche quot modis fit. 60.b 84.a
Syntaxis. 85.a
συλλόδην κτεῖν. 37.b

T

Tam,quam. 86.b
Tautologia. 85.a
Temperantia. 50,a.49.b
Temporis supputatio. 2.b
Temporis enallage. 81.a
Temporis descriptio. 92.a
Topographia. 69.b
Topothesia. 69.b
Transitio.76.a,car.for. 87.b
Translatio. 29.a.30.a
Tecmeria. 95.b
A textrina dehortatio. 22.b
Tropi species.58.b.In quo differũt à schemate. 88.b
Tropi dictionis 98.a.b.60.a.b
Tropi orationis. 61.a
Tum, geminatum. 79.b

V

Valedictionis formulæ. 2.a
Post vale,quæ notanda. 2.b
Quæ cauenda. ibidẽ
Verbum inter adiect. & substantiuum. 78.b
De verbi locatione. 79.a
Verborum copia quid,& in quibus consistit. 80.b
Verb.copia quot modis variatur.

Verb. cum nomine mutatio. 81.a
Verbum cum supino. 81.a
Verbum in nomina. 88.b
Vincere. 86.b
Voluntas rei quomodo inuestigatur. 28.a
Virtutis Christianæ definitio, laus 48.a.b. 50.a.b.
Cum virtute interire. 102.b
Vita corporis. 102.a
Vorum. 69.b
Vrbium laus in exemplo. 15.a.b. 16 a.b.
Vtile. 9.a. 11.b.
Vtilitas quæ cõplectatur. 9.b. 11.b
Vtilis & necessarius per exemplum 12.b.

W

While we studie. 50.b

Z

Zeugma. 63.b

FINIS.